DE

RERVM PRIMA BELLI PELOPONNESIACI PARTE GESTARVM TEMPORIBVS

DISSERTATIO HISTORICA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXI MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXXII HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

MAXIMILIANVS STRACK
HAMBVRGENSIS

ADVERSARII ERVNT

OTTO HARTZ
IOANNES DE PROTT
PAVLVS RVBEN

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXXXII

HENRICO NISSEN

I. Testimonia, quae ad annum naturalem pertinent.

1. Solis atque lunae defectiones.

Is, qui postremus de solis lunaeque defectionibus disseruit [1]), ter his decem annis luces obscuratas esse contendit,

431 Aug. d. III. sol def. (Thuc. II 28)
425 Oct. d. IX. luna def. (Arist. Nub. v. 584)
424 Mart. d. XX. sol def. (Thuc. IV 52)

alias lunae defectiones Athenis usque ad pugnam apud Amphipolim factam visas esse negat.

2. Stellarum ortus atque occasus [2]).

Nomina stellarum	*Euctemon* [3])	*Eudoxus* [3])	*Nostrates* [4])
Arctur. Ort. vesp.	5. III	26. II	2. III—27. II [5])
Vergiliar. Occ. vesp.	2. IV	5. IV	4. IV [6])
Hyad. Occ. vesp.	15. IV	—	20. IV

1) Hofmann. Sämtliche bei griechischen und lateinischen Schriftstellern des Altertums erwähnte Sonnen- und Mondfinsternisse (Triest 1884. p. 17 sq.).

2) Clariorum stellarum ortus atque occasus exhibui, quamquam ad res horum annorum digerendas unus Arcturus pertinet, quia ad omnia agricolarum nautarumque negotia permagni fuisse momenti docet Hippocrates περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων c. 17.

3) Euctemonis rationes secundum Schmidtium (Chronol. p. 477) exhibui; Eudoxi rationes secundum Boeckhium (Sonnenkreise p. 211, 382).

4) Nostra aetate stellarum ortum et occasum accuratissime definivit Ideler (Ueber den Kalender des Ptolemaeus. Berl. Academ. 1816. p. 163). Ptolemaei tamen rationes, quas examinavit, secundum p. Chr. n. saeculum respiciunt neque plane ad Athenarum situm (38⁰) quadrant. Huic igitur tabulae eos numeros inscripsi, qui aequo spatio distant et a numeris ad Rhodum pertinentibus (36⁰) et a numeris, qui ad Hellespontum spectant (40⁰).

5) Ideler. Chronol. I 252 ad ann. 430.

6) Ideler. Chronol. I 247 ad ann. 800.

Nomina stellarum	*Euctemon*	*Eudoxus*	*Nostrates*
Canicul. Occ. vesp.	25. IV	28. IV	4. V
Orion. β Occ. vesp.	—	25. IV	17. IV
Orion. α „ „	—	—	4. V
Lyrae Ort. vesp.	27. IV	—	19. IV
Vergil. Ort. mat.	6. V	15. V	21. V—29. V [1]
Arctur. Occ. mat.	25. V	7. VI	5. VI
Hyad. Ort. mat.	25. V	—	5. VI
Orion. α Ort. mat.	18. VI	18. VI	3. VII
Orion. β „ „	9. VII	7. VII	9. VII
Canicul. Ort. mat.	28. VII	23. VII	28. VII—30. VII [2]
Lyrae Occ. mat.	13. VIII	18. VIII	18. VIII
Protrygeter. Ort.	6. IX	—	—
Arctur. Ort. mat.	16. IX	15. IX	24. IX—20. IX [3]
Vergil. Ort. vesp.	1. X	5. X	—
Arctur. Occ. vesp.	31. X	4. XI	2. XI
Lyrae Ort. mat.	5. XI	—	10. XI
Orion. α Ort. vesp.	—	8. XI	3. XII
Orion. β „ „	—	27. XI	10. XII
Vergil. Occ. mat.	10. XI	14. XI	5.XI-10.XI-11.XI [4]
Orion. β Occ. mat.	10. XI	14. XI	8. XI
Orion. α „ „	—	3. XII	24. XI—15. XI [5]
Hyad. Occ. mat.	22. XI	24. XI	11. XI—7. XI [5]
Canicul. Occ. mat.	2. XII	7. XII	25. XI
„ Ort. vesp.	—	12. XII	4. XII.

1) Prior dies ab Idelero (Chronol. I 252) affertur; posterior a Bruhnsio (apud Mommsen. Chronol. p. 27), cui adsentitur Jul. Schmidt (eodem loco p. 23 adn.).

2) Ideler (Chronol. I 252) et Foerster (apud Boeckh. l. i. p. 415) Jul. die XXIIX. Caniculam ortam esse contendunt, Ptolemaeus die XXX.

3) Prior dies ab Idelero l. i. affertur; posteriorem ratione effecit Schorr (apud Mommsen. Ueber die Zeit der Olympien. Lipsiae 1891. p. 13).

4) Primum diem Ideler (Chronol. I 252), alterum Bruhns (apud Mommsen. Chronol. p. 27) erhibuit. Tertium sumpsimus ex Mommsenio (Griechische Jahreszeiten p. 88): ὁ αἲ Μηνᾶς (=11. XI) ἐμήνυσε, πούλεια, μὴ ξημερώσῃ.

5) Ideler. Chronol. I 246 ad ann. 800.

3. De messe fructuum.

Graeci caeli natura inde a temporibus, quae nobis nota sunt per rerum scriptores, non mutata est [1]. Licet igitur nobis transferre ea tempora, quae conterminantur messibus nostra aetate factis, ad veterum narrationes.

In planis Graeciae locis, si singulos annos inter se comparas,

hordeum floret Aprilis die IV., maturum fit Mai. ex.,

triticum floret Aprilis die XIIX., maturum fit Mai. ex. [2].

Hordeum multo maioris momenti apud veteres erat, itaque in rationibus magis respici debet [3]. Nec neglegendum nobis est singulas Graeciae partes non plane inter se congruere, immo ita differre, ut messis Atticae tempora Mai. med. [4], initium messis Eleae Iun. die X. [5] statuantur, in montanis vero regionibus fruges Augusto demum mense metantur.

Vindemia fit Aug. ex./Oct. ex. [6].

Fici duobus mensibus carpuntur et Iun. ineunt. et Aug. mense [7].

---

1) Caeli naturam mutatam esse contendit Fraas. (Clima und Pflanzenwelt in der Zeit. Landshut 1847), contra quem pugnant Neumann-Partsch. (Physicalische Geographie von Griechenland p. 89), von Heldreich. (ap. Mommsen. Griechische Jahreszeiten p. 570), Holzapfel. (Berl. Stud. VII 3, p. 51).

2) Mommsen. Mittelzeiten p. 5—8; Griech. Jahreszeiten p. 570 sq.; Neumann-Partsch. l. i. p. 439.

3) Neumann-Partsch. l. i. p. 445.

4) Messis finitur auctore Mommsen. (Griech. Jahr. p. 570) Iunio medio.

5) Leake. travels in the Morea I 14.

6) Mommsen. Mittelzeiten p. 4 et 10; Griech. Jahreszeiten p. 576.

7) Neumann-Partsch. l. i. p. 425.

Iul. ex./Aug. in. Attici ficos carpunt auctore Mommsen.[1]), quocum non plane consentit von Heldreich[2]).

Olea floret Mai. med.; carpitur Oct. ex. — Januar.[3]).

Neque vero neglegi debet, Graeci caeli naturam, quamvis constantem atque singulis annis sui similem, tamen certis dierum finibus non obstringi[4]); itaque in terminanda qualibet re alii termini nonnunquam in eundem fructuum statum cadunt, quam quos supra commemoravimus, paucis diebus diversi, modo ex alia quadam causa aptiores videantur.

4. Anni naturalis tempora[5]).

Controversia de finibus singulorum anni temporum apud veteres nostra aetate maior exstitit praecipue excitata verbis illis Thucydidis *γέγραπται δε ἑξῆς, ὡς ἕκαστα ἐγίγνετο, κατὰ θέρος καὶ χειμῶνα*[6]), quam ut generaliter paucis verbis discerni possit.

Apud Homerum quidem sine acri distinctione annus dividitur et in duas partes, hiemem et aestatem, ut Od. VII 118

τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται οὐδ' ἀπολείπει
χείματος οὐδὲ θέρευς, ἐπετήσιος,

et in tres, ut Od. XI 190

---

1) Mommsen. Mittelzeiten p. 10.

2) von Heldreich. l. i. p. 583: „es giebt viele Varietäten, frühe, die schon im Juli reifen; die meisten und besten Sorten reifen jedoch später, vom August an bis Mitte Oktober.“

3) Neumann-Partsch. l. i. p. 420. Mommsen. Mittelzeiten p. 12; Griechische Jahreszeiten p. 572.

4) Mommsen. Chronol. p. 387 adn. 1; p. 374 adn. 3.

5) Ideler. Chronologie I 240 sq. Boeckh. Sonnenkreise p. 75 sq. Unger (apud J. Müller. Handb. der class. Altertumswissenschaft I 556 sq.)

6) Thuc. II 1; V 20. 3.

ἀλλ' ὅγε (Laertes) χεῖμα μὲν εὕδει ....
αὐτὰρ ἐπὴν ἔλθῃσι θέρος, τεθαλυῖά τ' ὀπώρη.

quarum postrema — secreta a θέρους parte (Od. XIV 384; XII 76) — nonnullis signis nobis describitur. Ὀπώρᾳ enim Canicula oritur (Il. XXII 25), quae mortalibus ardorem fert (Il. V 5), aquilo terram torret carduosque prae se agit [1]), tempestas denique imberque fieri possunt (Il. XVI 386). — Χείματι (aut ὥρῃ χειμερίῃ) frigus (Od. XIV 487), tempestas (Il. II 294), nix (Il. III 222; XII 279; XXIII 420; Od. XIV 522), imber (Il. III 4; XVII 549) attribuuntur. Praeter haec tria anni tempora mentionem facit Homerus veris (ὥρῃ εἰαρινῇ aut ὥρῃ aut ἔαρ), quo arbores frondescunt [2]) (Il. VI 188; II 470; Od. IX 51), et gramina carpuntur (Il. XVIII 367), ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται; quo luscinia densa in fronde (ἔαρος νέον ἱσταμένοιο) canit [3]) (Od. XIV 519; hymn. in Pan. XIX 17).

Hesiodus annum sicut Homerus in χεῖμα et θέρος dividit [4]), quorum prius capit initium aut ab occasu Vergiliarum aut Hyadarum aut Orionis — quarum stellarum occasus inter se distant quindecim circiter diebus — (opp. 445, 458, 471, 380, 612), cum grus avolat [5]). Hoc anni tempore, quod finitur 60 diebus post brumam (opp. 558), aquilo flat, et frigore homines impediuntur,

---

1) Cardui florere incipiunt Maio mense (Mommsen, Mittelzeiten p. 10), quocum conferas Mommsen. Griech. Jahreszeiten p. 563: Disteln blühen in Attica im Juni und Juli; einige bis spät in den Herbst, andere sind schon Ende Juni dürr.

2) Mommsen. Mittelzeiten p. 4: „Hauptmonat der Belaubung ist der März.“

3) Mommsen. Mittelzeiten p. 23: „April ist der Monat des Nachtigallengesanges.“

4) Vox χειμών, quam ter apud Hesiodum invenimus, semel hiemem significat (opp. 492), ceteris versibus (opp. 648, 671) tempestatem.

5) Mommsen. Mittelzeiten p. 19 adn. „Rückzug des Kranichs Oktober 12—22.“

ne terram colant (opp. 492, 503); at, priusquam finiatur, vites amputari debent [1]).

Θέρος incipit inde a Vergiliarum ortu (opp. 570 sq. = scut. 393 sq., 380), finitur Augusti die XX. [2]). Aestate, cum Canicula oritur (opp. 570 = scut. 393), ardor homines premit, *τέττιξ* canit [3]), Favonius flat, carduus floret. Non tam acriter, quam Homerus, a *θέρει* distinxit Hesiodus *ὀπώραν*, quam omnino semel commemoravit (opp. 670) una cum musto atque austro; alio vero loco novum anni tempus, apud Homerum inauditum, nominat Hesiodus, *μετοπώρινον* dico, cui pauca signa attribuuntur. Incipit autem hoc tempus, quod merito autumnum nominare possumus, post acrem ardorem tunc cum Canicula non tam die in caelo versatur, quam *νυκτὸς ἐπαυρεῖ* et arbores frondem demittunt (opp. 411 sq., 417) [4]). *ἔαρ* [5]) deni-

---

1) His Hesiodi praescriptis nostrae aetatis proverbia apponam, qua comparatione confirmatur sententia illorum, qui Graeci caeli naturam mutatam esse negant. Mommsen. Griech. Jahreszeiten p. 92 v. 124 a—d: *Ὁ ἅϊ Μηνᾶς* (= Nov. XI.) *ἐμήνυσέ 'πο πάππου τοῦ χειμῶνος· ἔρχομαι ἢ δὲν ἔρχομαι, καὶ τοῦ ἅϊ Φιλίππου* (Nov. XIV.) *αὐτοῦ εἶμαι.* p. 13 v. 17 a—o *γενάρη μῆνα κλάδευε, καὶ φεγγάρι μὴ 'ρωτᾶς.* cf. p. 575: „Es werden diese Arbeiten (Beschneiden und Umhacken) zu beliebiger Zeit im Januar oder Februar vorgenommen, sollen aber jedenfalls Anfangs März beendigt sein.“

2) Mommsen. Griech. Jahreszeit. p. 75 v. 105: „*Ὁ Αὔγουστος ἐπλάκωσε, ἡ ἄκρα τοῦ χειμῶνος.*

Ptolem. appar. (ed. Wachsmuth) p. 256 sub Mesori *κζ· ἐπισημαίνει ὕδασι καὶ ἀνέμοις· ιθ· φθινοπώρου ἀρχὴ* (= Aug. XIII.).

3) Mommsen. Mittelzeiten p. 10: „Die Cicade singt Ende Juni und Juli.“

4) Mommsen. Mittelzeiten p. 14: „November scheint der rechte Monat der Entfärbung und Entlaubung.“ Pseudo-Gemini Calend. (ed. Wachsmuth) p. 179: *σκόρπιον* IV. = Oct. XXX.: *φυλλορροεῖν ἄρχεται τὰ δένδρα μάλιστα.*

5) Mommsen. Griech. Jahreszeiten p. 17 v. 22 a—e: *ὁ Φλεβάρης κι ἂν φλεβίζῃ, καλοκαίρι θὰ μυρίσῃ·* p. 24 v. 32. *τὸ χελιδόνι δὲν φέρνει πάντα τὴν ἄνοιξιν.*

que (aut ὥρη εἰαρινὴ) incipit cum arboribus florescentibus et ortu Arcturi, cum hirundo in Graeciam redit. [1]) (opp. 675, 565).

Ex librorum multitudine, qui Hippocrati [2]) attribuuntur, duo praeter ceteros nos certiores faciunt de anni temporibus, libros περὶ διαιτῆς et περὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων dico [3]), quorum priorem Hippocratis esse Bernays [4]) negat.

Explicantur vero et tam accurate discernuntur in hoc libro singulae anni partes, ut non dubitem, omnia quae ad anni dispertitionem pertineant, homini artis ca-

---

1) Mommsen. Mittelzeiten p. 21: „Die Mittelzeit für die Schwalbe sind die ersten Tage des März". cf. verba vasi cuidam quinti ineuntis saeculi insculpta (Mon. Inst. II 24; Baumeister. Denkmäler des class. Altertums p. 1885. s. v. Vasenkunde) ἰδοὺ χελιδών· νὴ τὸν Ἡρακλέα· αὕτη· ἔαρ ἤδη; quibus verbis refutatur Ungeri sententia (Phil. XLIV 631), Aristophanis scilicet versu σκέψασθε παῖδες, οὐχ ὁρᾶθ'; ὥρα νέα χελιδών (equ. 419) ver non significari.

2) Editione usus sum, quam curavit Ermerins. (Traiecti ad Rhen. 1869).

3) Quae exstant fragmenta e libro 'περὶ ἑβδομάδων' prae studio omnia ad numerum 'septem' redigendi usui esse non licet mea quidem sententia, quia non tam ex sermone cotidiano sumptae esse eae partes mihi videntur, quam numeri 'septem' gratia compositae; refutanda igitur est Boeckhii sententia (Sonnenkreise p. 77), qui e sermone cotidiano eas sumptas esse putat, praesertim quam male singulae inter se seiunctae sint, cum tecum reputaveris: (tom. III p. 534) σπορητός χειμών φυταλία ἔαρ θέρος ὀπώρα μετόπωρον· αὗται ἀλληλέων διαφέρουσι διὰ τάδε· Σπορητὸς ἐν θέρει οὐ γόνιμος, οὐδὲ φύτευσις ἐν μετοπώρῳ, οὐδὲ ἄνθησις ἐν χειμῶνι οὐδὲ βλάστησις ἐν θέρει, οὐδὲ πέπανσις ἐν χειμῶνι. cf. Holzapfel. Berlin. Studien VII 3. p. 60.

4) Bernays. Heraclitea (Gesamm. Abhandlungen ed. Usener. Berl. 1885 I 3): 'eo duci videmur ut dicamus variarum aetatum variorumque scriptorum et integros libellos et libellorum particulas in unum hoc corpus conglutinatas esse a medico aliquo', quem medicum Unger (apud J. Mueller. I 560) aequalem Hippocratis ducit.

lendariae perito attribuere; eiusdem igitur pretii sunt hae rationes, cuius parapegmata neque pro certo habere possumus, omnia, quaecunque hoc in libro inveniamus, popularia fuisse.

Non dubitatur adhuc de Hippocrate alterius libelli auctore ʽπερὶ ἀέρων ὑδάτων τόπων' [1]), ex quo nihil aliud disces, atque Hippocratis temporibus quattuor anni tempora distincta fuisse; initia vero accurata singulorum temporum non invenies.

Ἔτος enim dividitur in calidum atque frigidum tempus [2]) (θέρος atque χειμῶνα); quattuor tempora exstant c. 14, p. 259 χειμὼν ἔαρ θέρος μετόπωρον [3]), ex quo accuratam terminationem suspicemur licet, demonstrare nequimus [4]).

Tres praeterea loci exstant digni qui commemorentur μετοπώρου gratia.

c. 14, p. 240: καὶ ἢν μὲν ἐπὶ κυνὸς ἐπιτολῇ ὕδωρ ἐπιγένηται καὶ χειμὼν καὶ οἱ ἐτήσιαι πνεύσωσι [5]), ἐλπὶς παύσασθαι (sc. τὰς νόσους) καὶ τὸ μετόπωρον ὑγιηρὸν γενέσθαι.

c. 16, p. 263, in quo quaeritur, quibus conditionibus hiemps salubris aut letalis fiat: ἢν δὲ τὸ θέρος ἔπομβρον γένηται καὶ νότιον καὶ τὸ μετόπωρον, χειμῶνα ἀνάγκη κτλ. . . . . ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν γένηται καὶ βόρειον τὸ δὲ μετόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον κεφαλαλγίας

1) Ermerins. l. i. I 241.

2) Ermerins. l. i. I 259 c. 14; 243 c. 2; 244 c. 3; 250 c. 7; saepius.

3) In libro illo περὶ διαιτῆς pro μετόπωρον semper φθινόπωρον scriptum invenimus.

4) περὶ δὲ τῶν ὡρέων . . . ἢν μὲν γὰρ κατὰ λόγον γένηται τὰ σημεῖα ἐπὶ τοῖς ἄστροισι δύνουσί τε καὶ ἐπιτέλλουσιν, ἔν τε τῷ μετοπώρῳ ὕδατα γένηται καὶ ὁ χειμὼν μέτριος καὶ μήτε λίην εὔδιος μήτε ὑπερβάλλων τὸν καιρὸν τῷ ψύχει, ἔν τε τῷ ἦρι ὕδατα γένηται ὡραῖα καὶ ἐν τῷ θέρει, οὕτω τὸ ἔτος ὑγιαινότατον εἰκὸς εἶναι· et paulo post iterum nobis occurrunt χειμὼν ἔαρ θέρος.

5) Hoc loco interpretari possumus verba obscura Thucydidis IV 28.

γενέσθαι κτλ. . . . . ἦν δὲ βόρειόν τε ᾖ καὶ ἄνυδρον καὶ μήτε ὑπὸ κύνα ἔπομβρον μήτε ἐπὶ τῷ ἀρκτούρῳ κτλ.

c. 17, p. 264: *μέγισται δέ εἰσιν αἵδε καὶ ἐπικινδυνόταται (νόσοις) καὶ αἱ ἰσημερίαι νομιζόμεναι εἶναι ἀμφοτέραι, μᾶλλον δὲ αἱ μετοπωριναί· Δεῖ δὲ καὶ τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι καὶ μάλιστα τοῦ κυνός, ἔπειτα ἀρκτούρου καὶ ἔτι πληιάδων δύσιν.*

Quamquam tres hi loci de autumno nos certiores faciunt, attamen diem certum, ex quo hoc anni tempus initium ceperit, statuere nequimus. Nam Arcturi ortum, qui interdum eodem die, quo aequinoctium autumnale constituitur (cf. infra pag. 10), ne eligamus, impedit nos illa sententia, quae altero loco prolata est, nisi forte putas, *θέρος* inde a Caniculae ortu incipere aut Arcturi ortum medio autumno tributum esse, sicut Caniculae ortum aestati. Id modo ex hisce locis discimus, aequinoctium autumnale postremum diem *μετοπώρου* esse non posse, quia nemo tempori cuidam a postremo die nomen dat.

Certos vero dies singulis temporibus tribui in libris illis *περὶ διαιτῆς* invenimus, qui vereor ut populares sint. Iuxta enim incerta indicia (II c. 65; I c. 32 = tom. III p. 458, 420) duo praeter ceteros loci huc pertinent, quorum alter (II c. 68 = tom. III 464) annum in quattuor partes dividit (*ἅπερ μάλιστα γιγνώσκουσι οἱ πολλοί*).

χειμών	a Vergil. occ.	usque	ad	aequinoct. vernum.
ἦρ	ab aequinoct.	„	„	vergiliar. ortum.
θέρος	a Vergiliar. ort.	„	„	arctur. ort.
φθινόπωρον	ab Arcturi ort.	„	„	vergil. occas.

Quibus vero diebus is, qui hos terminos anni temporum composuit, esse voluerit, paulo post (II c. 68 = tom. III p. 466) expressis verbis dicit.

Aequin. aut. / Arctur. occ.	26. IX[1]	— Vergiliar. occ.	12. XI	48 dies.[2]	φθινόπωρον
Verg. occ.	12. XI	— Solstitium hiem.	26. XII	44 „	(χειμών)[3]
Solstit. hiem.	26. XII	— Favon. incip.	8. II	44 „	
Fav. incip.	8. II	— Arctur. ort. / Hirund. advent.	23. II	15 „	
Arctur. ort.	23. II	— Aequin. vern.	26. III	32 „	
Aequinoct. vern.	26. III	— Vergil. ort.	13. V	(48) 6×8 dies.	(ἔαρ)[4]
Vergil. ort.	13. V	— Solstit.	26. VI	(44) dies.	θέρος.
Solstit.	26. VI	— Aequin. aut. / Arctur. occ.	26. IX	93 „	

Voce *ὀπώρη* significari messem fructuum[5]), excepto frumento, demonstratur verbis (l. i. c. 69) *ἡ δ' ὀπώρη ἰσχυρότερον τῆς ἀνθρωπίνης φύσιος· βέλτιον οὖν ἀπέχεσθαι· εἰ δὲ χρῷτό τις μετὰ τῶν σιτίων χρεόμενος. . . .*

1) Spatium, quod interest inter duos terminos, interdum non congruit cum numero prolato ab auctore, nisi terminum ipsum bis numeras.

Certos in his rationibus dies aequinoctia atque solstitia puto, quae homo rerum calendariarum peritus non ignoraverit; stellarum enim ortus atque occasus nondum accurate terminati sunt (cf. p. 2). Si Idelerum (l. i. I 252) et Boeckhium secutus l. i. (p. 77) Vergiliarum occasum Novembris V. d. statuo, aequinoctia solstitiaque ad XIX. d. Septembris, Decembris, Martii, Iunii redigere cogor, id quod falsum esse mihi videtur.

2) Numeri huius rubricae ab auctore ipso ratione effecti sunt; numeros uncis inclusos adscripsi.

3) Vox ipsa *χειμών*, quamquam deest in libro, attamen totum spatium inde a Vergiliarum occasu usque ad aequinoctium continet, id quod demonstrant verba *χρὴ οὖν καὶ τοῖσι διαιτήμασι ἕπεσθαι τῇ ὥρῃ . . . προσάγοντα ἡσυχῇ πρὸς τὸ ἔαρ· ὁκοτὰν δὲ ἰσημερία γένηται, ...* Verba vero *προσάγοντα πρὸς τὸ ἔαρ* ne veri attribuamus, impediunt nos verba paulo infra scripta *ἀπὸ δ' ἰσημερίης* (autumni) *ὧδε χρὴ διαιτῆσθαι προσάγοντα πρὸς τὸν χειμῶνα ἐν τῷ φθινοπώρῳ.*

4) Vox „*ἔαρ*", quamquam deest, tamen certe huic spatio attribuitur. cf. *δεῖ οὖν ὥσπερ καὶ τὰ δένδρεα παρασκευάζεται ἐν ταύτῃ τῇ ὥρῃ αὐτὰ ἑωυτοῖσι ἐς τὸ θέρος . . . ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ μέχρι πλειάδων ἐπιτολῆς . . . ἐν τούτῳ ἤδη θέρος.*

5) Qui fructus pertinent ad *ὀπώρην*, paulo antea c. 55, p. 448 dixit autor. *περὶ δ' ὀπώρης ὧδε ἔχει κτλ.*

Herodoti ἔτος (VII 50) vel ἐνιαυτός (VII 162) dividitur item in θέρος atque χειμῶνα [1]) (II 121) vel in θερείην καὶ χειμερίην (sc. ὥρην I 189. 202; II 121, saepius). Quae tempora anni eisdem signis distinguntur atque quae saepius iam enumeravi. Tempus ἔαρος, cui apponitur aut vox γιγνόμενον (VI 43; VII 37, 162; VIII 131) aut ἐπιλάμψαντος (I 190; VIII 130) a certo die initium non capere, verbum posterius satis demonstrat [2]).

Nominantur autem praeter haec anni tempora ὀπώρα (IV 199), cui idem sensus inest atque ὀπώρα Hippocratis, et φθινόπωρον (IX 117), quod certis finibus circumscribere non possumus.

Apud Xenophontem nihil alieni invenimus. Annus dividitur in θέρος καὶ χειμῶνα (Cyrop. I 6, 25; VIII 5, 2; VIII 8, 17; Hell. I 1, 2; I 2, 1; II 1, 1; III 2, 31; καὶ τὸ μὲν λοιπὸν θέρος καὶ τὸν ἐπιόντα χειμῶνα. τοῦ δ' ἐπιόντος θέρους). Χειμῶνι (interdum = tempestati Hell. I 6, 35; I 7, 6), cuius media pars pessima est (Hell. V 4, 13; VI 5, 20), succedit ἔαρ; veri autem haec verba adiunguntur

1) Voce 'χειμών' saepius tempestatem malam significari, vix dici opus est.

2) Unger (Phil. XLIV p. 642) veris initium certo cuidam diei attribuere conatus hac argumentatione usus est: Herodot hat ein Naturjahr, welches mit dem Frühling anfängt. Daraus folgt von selbst, dass er dieses mit der Nachtgleiche begonnen hat, — denn die Sonnenbahn hat keine andere Epochen, als die vier Jahrpunkte; eadem paulo post fusius disseruit sub anno 480 (VII 37, 42, 50, 56, 131, 148; VII 51, 72). Qua in ratione et spatium quattuor mensium notum est, quibus Xerxes ab Hellesponto in Atticam iter fecit, si modo hic numerus ad veritatem aspirat, et Olympia Carneaque rege adveniente celebrata iam esse audimus VIII 72. Plane ignotum vero id temporis spatium est, quod Xerxes itinere inde a Sardibus ad Abydum consumpsit, quod iter Unger per quindecim dies perfecisse regem putat, equidem per triginta aut quadraginta. Itaque, utut res se habet, nullo modo hic annus exemplo esse potest, Herodoti ver ab aequinoctiis initium cepisse; Xerxem Martio med./exeunt. Sardibus profectum esse, fortasse recte contendit Unger (cf. Holzapfel. l. i. p. 63 adn.).

εὐθὺς ἄρχεσθαι (Hell. IV 7, 1), ἅμα (III 2, 6; IV 8, 7), ἐπεὶ δὲ ἐπέστη (V 4, 47), ἅμα δὲ τῷ ἦρι ὑποφαίνοντι vel ὑποφαινομένῳ (IV 1, 41; V 3, 1; V 4, 58; V 4, 59), quorum postremum, opinor, nos impedit, ne veris initium certo cuidam diei attribuamus[1]. Ὀπώρα messem fructuum significat (Hell. III 2, 10); μετόπωρον (coniunctum cum ἅμα IV 1, 1; ἐπιγίγνεσθαι IV 6, 2) accuratius definiri nequit, quamquam in libello illo, cui nomen κυνηγετικός est, quattuor anni tempora enumerantur (IV 11), quorum μετοπώρῳ[2]) ὅσα γῆ φέρει τὰ μὲν ἥμερα συγκεκόμισται, τὰ δὲ ἄγρια γῆρᾳ διαλέλυται (V 9).

Initia denique anni temporum, quae homines fastorum periti statuerunt, composui ex apparitionibus Ptolemaei[3]).

Febr.	d. VII.	Αἰγυπτίοις καὶ Εὐδόξῳ ἔαρος ἀρχή.
„	„ IX.	Καίσαρι καὶ Μητροδώρῳ ἔαρος ἀρχή.
„	„ XI.	Ἱππάρχῳ ἔαρος ἀρχή.
Mart.	„ VIII.	„ „ „ ?.

1) Quaecunque Unger l. i., ut demonstret ver aequinoctio coepisse, disseruit, eodem iure de Arcturi ortu dici possunt (cf. Holzafel l. i. p. 63 adn., qui aliis causis falsam esse Ungeri sententiam contendit). Sed demonstrari potest, aequinoctium autumnale apud Xenophontem neutiquam initium hiemis fuisse. Praebent vero hoc argumentum undetriginta ephororum nomina (Hell. II 3, 10), quae Beloch. (Phil. XLIII 264), quamquam spuria esse dicit, attamen interpolatorem auctoribus optimis et vetustissimis usum esse concedit. Per viginti octo enim annos atque dimidium undetricesimi bellum inde a Plataeis occupatis ad Samum captam duravit finisque ipse fuit aestate exeunte (τελευτῶντος τοῦ θέρους); quorum uterque numerus alter ad alterum quadrare non potest, nisi putemus, Eudium ephorum, quem novissimum enumeravit Xenophon, modo magistratum inisse. Inibant autem ephori magistratum novilunio post aequinoctium autumnale.

2) quae vox sine distinctione φθινοπώρου loco posita est.

3) Ptolemaei apparitiones ed. Wachsmuth. una cum Lydi libro de ostentis. Lips. 1863, p. 191 sq.

Mai.	d. X.		*θέρους ἀρχή.*
„	„ XII.		*θέρους ἀρχή.*
„	„ XVIII.		*Εὐδόξῳ θέρους ἀρχή.*
Iul.	„ XXI.		*Μητροδώρῳ καὶ Εὐκτήμονι καὶ Φιλίππῳ. ὀπώρας ἀρχή.*
„	„ XXIX.		*Εὐδόξῳ ὀπώρας ἀρχή.*
Aug.	„ XII.		*φθινοπώρου ἀρχή.*
Sept.	„ XV.		*Εὐκτήμονι μετοπώρου ἀρχή.*
„	„ XVI.		*Ἱππάρχῳ φθινοπώρου ἀρχή.*
„	„ XVII.		*Καίσαρι μετοπώρου ἀρχή.*
„	„ XVIII.		*Εὐδόξῳ μετόπωρον ἄρχεται.*
Nov.	„ XI.		*Αἰγυπτίοις καὶ Ἱππάρχῳ χειμῶνος ἀρχή.*
„	„ XIII.		*Εὐδόξῳ χειμῶνος ἀρχή.*

Inde igitur ab Homeri temporibus usque ad saeculum quartum nusquam *χειμών* initium cepit ab aequinoctio autumnali; ver autem fere apud omnes, excepto uno illo, cuius opus artificiosum traditum est apud Hippocratem, ante aequinoctium vernum incipit. Apud Homerum certe non accuratum temporis spatium voce '*ἔαρ*' includitur, id quod nemo negabit, qui locos supra laudatos (Il. VI 148 et Od. XIX 519) [1]) inter se comparet; etenim hic arbores frondescunt vere, illic vere ineunte canit luscinia in fronde densa. Ex hominibus vero fastorum peritis, qui certe ad unum omnes veris initium in aequinoctio posituri essent, si aequinoctium finis hiemis et initium veris fuisset, ne unum quidem invenies, qui tam sero initium posuerit.

Longum est singula repetere; id vero puto nunciam non esse dubium, quin apud veteres aequinoctia multo minoris fuerint momenti quam apud nos, periculumque auctor subierit, ne, quid vellet, lectores intellegerent, nisi

---

1) Il.: *φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δὲ θ' ὕλη τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.*
Od.: *ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη, χλωρηὶς Ἀηδών, καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν.*

antea expressis verbis, initium veris et hiemis ad aequinoctia se referre dixisset.

Neque enim cetera anni tempora apud omnes quidem Graecos unquam sicut apud nos certis fastorum diebus conterminata sunt; ne homines docti quidem, qui fastis studerent, inter se consentiunt; itaque falsum est, voces *θέρος χειμών* alias certis diebus includere.

Quae cum ita sint, permirum videtur, quod nostra aetate permulti homines docti, qui vereor ne accuratiora affectent quam veriora assequantur, certos anni temporum fines ut indagarent apud Thucydidem, studuerunt, quamquam apud hunc auctorem ne unum quidem verbum exstat, ex quo opinemur licet, eum contra sermonem vulgarem vocibus *χειμών θέρος* usum esse.

Tres sententiae imprimis mihi tractandae sunt, quarum unam in medium protulit Unger [1]), aliam cum multi alii tum Herbst [2]), tertiam Holzapfel [3]. Et Ungeri quidem sententiam — qui Thucydidem divisisse annum putat ultimo Thargelionis die, quo Plataeae captae sint, undique viri docti aggressi sunt, ut Herbst [4]), Aug. Mommsen [5]), Schmitt [6]), Steup [7]), Ad. Schmidt [8]), alii, pauci adhuc probaverunt, ut Paulus II [9]). Et revera ea ratiocinandi ratio, quae nobis usitatissima esse videtur — eam dico, quae in fastis posita est — a Graecis illius aetatis plane aliena erat, propterea quod omnibus fere locis Graeciae et Siciliae, quocunque Thucydides in itineribus pervenit, fasti

1) Das Kriegsjahr des Thukyd. Phil. XLIII 577.

2) Herbst. Phil. XLII p. 625; Phil. XLVI p. 491.

3) Holzapfel. Berliner Studien VII 3, p. 59.

4) Herbst. l. i.

5) Mommsen. Chronol. p. 371; qui omnino de diversis sententiis disputat.

6) Schmitt. Quaestiones chronologicae. Lips. 1882.

7) Steup. cum Thuc. Studien II 61 sq. tum in app. edit. Thucyd., quam curavit Classen II. 1889.

8) Ad. Schmidt. Chronologie p. 614.

9) Paulus II. Programm von Maulbronn 1883.

inter se differebant neque Athenis ipsis sine correctione tunc stare poterant. Causas vero, quae obstent Ungeri sententiae, cur iterum singulas afferam, non video.

Itaque ut omittam ea, quae generaliter perbene contra eum disputavit Mommsen, duas res tantum commemorabo, quae ante omnes pugnare mihi videntur contra Ungerum, quarum altera haec est, quod Thucydides suis ipsius verbis adversaretur, quae V 20 leguntur, utut restituis locum corruptum [1]). Namque apud Graecos fastorum dies ut ab anno ita ipse annus ab archonte pendebat, quam temporis definitionem — *κατ' ἄρχοντα* vocat auctor — claris verbis reiecit Thucydides. Deinde hiberna temporis pars, quae modo ab ultimo die Metagitnionis modo a XV. d. Boedromionis inciperet, ultimi tantum Anthesterionis gratia nomen finesque ab Ungero accepit. Quod hiemis initium nescio unde cognoscere potuerit, qui quattuor primos libros Thucydidei operis legeret. Quinto demum libro (c. 20) occurrunt verba *ἐξ ἡμισείας*, quibus de initio hibernae anni partis certior fieri posset. Accedit quod hae dubitationes generales augentur singularibus causis, ut computatione initii hiemis a. 428, quod infra tractabimus.

Alteram sententiam, — Thucydidem scilicet *θέρος* et *χειμῶνα* aequinoctiis seiunxisse —, adhuc permulti viri docti profitentur, praecipue nixi eo loco, quem modo commemoravimus (V 20), quo verba *ἐξ ἡμισείας* accuratissime ad verbum interpretanda esse contendunt, negantque unquam vel paucos dies dimidiis utrisque annorum partibus apponere aut demere nobis licere; in quo virorum numero cum Steup. [2]) tum Herbst. (l. i.) versantur,

1) Steup. l. i. II 65 sq.

2) Steup. l. i. p. 77; qui, postquam anno 1886 edidit hunc librum, sententiam mutavit, in app. ed. Class. p. 213 iis viris adsensus, qui Plataeas circa VIII diem Martii mensis captas esse contenderent, quas inter se sententias discrepare luce est clarius.

qui anni temporum initia Martii mensis die XXVI., Mai. d. XIV.[1]), Septembris d. XVII., Septembris d. XXV.[2]) definivit. Quam definitionem vulgo acceptam non fuisse, vix quisquam negabit, qui quae supra ex aliorum scriptorum libris exhibuimus, perlegerit; itaque opprobrium illud ab Herbstio datum Ungero, quod scilicet sub Thucydidis verbis sententias subiecerit ab ipso Thucydide plane alienas[3]), in illum retorquendum est.

Neque enim haec sententia minus abdita est clandestinaque quam Ungeriana; immo revera fere eaedem sunt, quia utraque posita est in fastis.

Nam ex natura nemo aequinoctia sentire valebat. Immo opus erat apparatu a viris doctis exstructo, qualem inde ab anno 432 Athenienses in Pycne fixum spectarent, et qualem nonnulli viri nobiles fortasse possiderent[4]). Qui aequinoctiis initia aestatum hiemumque fuisse contendunt, mea quidem sententia nostrorum fastorum forma nimis moventur. Sententia enim, vera illa quidem, aequinoctium esse Martii mensis die XXVI., inutilis ad veterum rationem est. Quae sententia si expressa erit ita ut exprimi debet, aequinoctium scilicet aliquo anno Anthesterione mense esse, insequente anno Elaphebolione mense, tunc initio tunc fine Anthesterionis, iam ipsi quam parum veri sit similis ratio, celeriter cognoscent. Denique ut Thucydides hanc ignotam distinctionem aestatum et hiemum adhibuerit, quomodo difficilem hanc rationem intellegi potuisse putas, quae inveniri non posset, nisi difficilibus apparatibus, qui maiori parti eorum, qui

---

1) Phil. XLVI 527.

2) Phil. XLII 656.

3) Phil. XLVI 493: „Dass Thuk. mit seinem *θέρος* und *χειμών* eine neue Sprache einführe, darüber findet sich bei ihm nicht das leiseste Wort“. Locis vero illis (VII 16; VIII 39) quo *ἡλίου τροπαί* inveniuntur, nemo, credo, argumentorum loco initii aequinoctialis utetur.

4) Ad. Schmidt. Chronologie p. 191 sq.

legerent, praesto non essent? — Verba autem illa 'ἐξ ἡμισείας' (V 20) Herbstio non licebit argumenti fulcrive loco suae sententiae adhibere, quippe qui alio quodam loco [1]) contra Ungerum contendat τέσσαρες μῆνες non ita accurate dictum esse, ut non unus alterve dies deesset aut abundaret.

Eodem iure hoc placitum, quod nullo modo possumus non probare, ad nostrum locum (ἐξ ἡμισείας) referemus, eoque magis, quia, quo maiora sunt spatia, eo liberius talibus in computationibus agere nobis licebit.

Accedunt autem ad nostram sententiam argumenta quaedam singularia, e quibus primum afferendum mihi videtur belli ipsum initium, i. e. dies Plataicus Martii mensis VI./VII. [2]). Nisi enim apud viros doctos summae auctoritatis semper fuisset aequinoctium, nunquam, credo, eo perventum esset, ut frumentum per totum mensem ultra consuetum tempus in agris fuisse putarent.

Diem enim Plataicum e Thucydidis verbis (II 19) [3]) extricemus necesse est, non e numero ab alio aliter emendato (II 2) Πυθοδώρου ἔτι ? μῆνας ἄρχοντος [4]). Maturum autem est frumentum Maio medio; ergo incursio facta est Martii initio i. e. ante aequinoctium, nisi forte putamus, annum 431 plane diversum fuisse a solitis. Adde, quod Acharnei, ut vidit Wilamowitz [5]), frumentum hostibus non

1) Phil. XLVI 493.

2) cf. Holzapfel. l. i. p. 51.

3) ἐπειδὴ μέντοι προσβαλόντες τῇ Οἰνόῃ . . . . . . οὐκ ἐδύναντο ἑλεῖν, . . . οὕτω δὴ ὁρμήσαντες ἀπ' αὐτῆς μετὰ τὰ ἐν Πλαταίᾳ ἐσελθόντων τῶν Θηβαίων γενόμενα ἡμέρᾳ ὀγδοηκοστῇ μάλιστα, τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος, ἐσέβαλον ἐς τὴν Ἀττικήν. Utrum coniungi possint verba τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος, ut censet Holzapfel (l. i. p. 49) necne, ad rem ipsam nihil valet.

4) De virorum doctorum sententiis, utrum verba Πυθοδώρου ἔτι πέντε μῆνας ἄρχοντος stare possint necne, vide Wilamowitz. (Curis Thuc. p. 13), Bauer. (Phil. XLVI 482), Mommsen. (Chronol. p. 369), Holzapfel. (l. i. p. 54), quorum postremus recte indicasse mihi videtur.

5) Wilamowitz. Hermae vol. XX 473.

reliquissent, dummodo maturuisset. Cur vero Mommsen [1]), qui paene iisdem computationibus usus est, nihilo minus Aprilis novilunium praetulerit — circa novilunium enim Plataeas captas esse Thucydidis verbis II 2 *τελευτῶντος τοῦ μηνός* demonstratur — equidem abs me ut intellegerem, non impetravi.

Nec minus contra Herbstium pugnat solis defectio anni 424. Licet Thucydides, ne rerum ordinem nimis distraheret [2]), hoc loco temporum ordinem neglexerit, id quod saepius factum esse demonstrabimus, attamen ab eo, qui ad diem accurate singulas anni partes separandas esse contendat, talem artificis libertatem Thucydidi concedere non debuit.

Sed, quamquam plura argumenta enumerare possum, ut consecutionem rerum gestarum anni 428, ut annum 420 [3]), ut computationem annorum, quibus Chryses sacerdos Argis fuit [4]) (Thuc. IV 133), tamen, ne sim longus, unum tantum commemorabo. In definiendo decem annorum spatio primae belli partis Herbst, et qui eius partes secuti sunt, computant ab occupatione Plataearum, quam Aprilis d. IV. a. 431 fuisse dicunt, usque ad Elaphebolionis mensis *ἕκτην φθίνοντος* i. e. XI./XII. d. Aprilis a. 421, qui dies fixus est foedere inter Athenienses Lacedaemoniosque pacto. Sed errant viri docti [5]) in statuendo postremo die. Thucydides enim ipse disertis verbis, quem diem supremum esse voluerit, vel potius ad quem computaverit decem annos (V 20), tradidit: *τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι ἐκ Διονυσίων εὐθὺς τῶν ἀστικῶν αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν.* Ex Liberalibus igitur,

---

1) Mommsen. Chronol. p. 367.

2) Herbst. Phil. XLII 652.

3) cf. Holzapfel. l. i. p. 69, ubi de veris initio anni 420 disserit.

4) Wilamowitz. Curis Thuc. 16, 3; 19, 1.

5) Herbst. Phil. XLII 637.

i. e. ex Elaphebolionis d. XIV. computare debemus. Neque vero, quod foedus ipsum reapse decem diebus postea pactum est, quidquam valet. Quodsi decem dies, qui inter Elaphebolionis d. XIV. et d. XXIV. eiusdem mensis intersunt, deducimus, ad Aprilis d. I./II. reducti concludere cogimur non plenos decem illos annos fuisse, sed perpaucos dies defuisse, id quod ullo modo fieri posse Herbst ipse multis verbis contra Ungerum negavit.

Restat de veris initio Thucydideo tertia sententia, quam nuper[1]) in medium protulit Holzapfel, qui ex Arcturi ortu vespertino Thucydideum ver coepisse arbitratus contendit, hoc fuisse apud veteres usitatissimum initium, quocum congruere advenientem hirundinem. Et multo aptior mihi quidem haec sententia prioribus videtur, quia sic vertum incipit, cum reapse in Graeciae regionibus incipit atque ab agricolis nautisque sentiri potest, et quia signum quoddam initium hoc significat, quod sine apparatu ab omnibus in sereno Graecorum caelo spectabatur. At una obstat res, quam Holzapfel ipse, cum non ignoret, hisce verbis e medio tollere temptavit (l. i. p. 59) „Als Frühlingsepoche war der Spätaufgang des Arctur . . . . insofern sehr geeignet, als mit ihm das Wiedererscheinen der Schwalbe zusammenfiel. . . . Ein derartiges Merkmal musste für den gemeinen Mann von um so grösserer Bedeutung sein, da es, wie Unger selbst (Phil. 1885 p. 635) sehr richtig bemerkt, nicht jedermanns Sache war, himmlische Vorgänge zu beobachten.“

Neque vero uno quoque anno hirundo eodem die spectatur[2]), itaque iis omnibus, qui rebus caelestibus non studerent, ver certo die non incipiebat. Attamen nihilominus horum ipsorum narrationibus de tempore singularum rerum gestarum sine dubio usus est Thucydides. Nam rerum in bello gestarum minimam partem ipse vidit, dili-

1) Holzapfel. l. i. p. 70.
2) cf. supra p. 7, et Mommsen. Mittelzeit. p. 22.

genter vero eas narrationes collegit [1]), quae ei aut temporum indicia ex fastis sumpta praeberent, aut, id quod saepius [2]) evenit, signa ex ipsa rerum natura sumpta, ut *ἅμα τῷ ἦρι ἀρχομένῳ, περὶ καρποῦ ξυγκομιδὴν, χελιδῶνος ὥρᾳ,* alia. Quibus indiciis usus Thucydides certis diebus adstringere tempora anni nequibat. Itaque veri dissimile videtur, Arcturi ortum initium fuisse veris Thucydidei; neque omnino ulla nos movet res, ut Thucydidem contra usum cotidianum acriter divisisse annum putemus. Ver adest, cum adesse sentitur. Permultis indicatur notis, Arcturi ortu, adveniente hirundine, Favonio incipiente, aliis, non certo die.

5. Quo tempore Peloponnesii incursiones fecerint.

Peloponnesios in Attica brevius quindecim, diutius quadraginta diebus versatos esse, Thucydides negat [3]); neque enim ultra eum terminum exercitum ali potuisse, ex ipsius verbis [4]) apparet.

Frumentum autem equis mulisque et plaustris apportari opus erat, id quod iam antea in bello contra Persas gesto fecerant Graeci [5]). Neque enim milites im-

---

1) Swoboda. Thucydideische Quellenstudien p. 10. Innsbruck 1881.

2) Aug. Mommsen. Chronol. p. 386.

3) II 57, 2: *τῇ δ' ἐσβολῇ ταύτῃ πλεῖστόν τε χρόνον ἐνέμειναν . . . ἡμέρας γὰρ μ̅ μάλιστα ἐν τῇ γῇ τῇ Ἀττικῇ ἐγένοντο.*

IV 6, 2: *καὶ βραχυτάτην γενέσθαι τὴν ἐσβολὴν ταύτην ἡμέρας γὰρ ιε̅ ἔμειναν ἐν τῇ Ἀττικῇ.*

4) II 23, 3: *οἱ δὲ Πελοποννήσιοι χρόνον ἐμμείναντες ἐν τῇ Ἀττικῇ, ὅσον εἶχον τὰ ἐπιτήδεια.*

III 1, 2: *ἐμμείναντες δὲ χρόνον, οὗ εἶχον τὰ ἐπιτήδεια.*

III 26, 4: *ὡς δ' οὐδὲν ἀπέβαινεν αὐτοῖς, ὧν προσεδέχοντο, καὶ ἐπελελοίπει ὁ σῖτος.*

IV 6, 1: *ἅμα δὲ πρῷ ἐσβαλόντες καὶ τοῦ σίτου ἔτι χλωροῦ ὄντος, ἐσπάνιζον τροφῆς τοῖς πολλοῖς.*

5) Herod. IX 39: *πεμφθέντες δὲ οἱ ἱππόται (Μαρδονίου) οὐ μάτην ἀπίκοντο· ἐσβάλλοντα γὰρ ἐς τὸ πεδίον λαμβάνουσι ὑποζύγιά τε*

pediti nisi paucis diebus frumentum secum ferre valebant — de qua re recte iudicavit libri de Atheniensium republica quicunque fuit auctor opibus atque commodis suae urbis elatus [1]), neque ab Atticis agricolis post primam vel secundam incursionem, quibus omnia delerent Peloponnesii, agros cultos esse opinor. Opus est igitur in temporibus incursionum definiendis a messibus Boeotica et Peloponnesiaca proficiscamur — exceptis prima et secunda incursionum — itaque cavendum, ne maturius impetum factum esse putemus. Ad incursiones vero plerumque recenti frumento usos esse hostes, ex verbis IV 6, 1. modo laudatis apparet; ex maris vero parte vereor ut frumentum apportatum sit Peloponnesiis [2]). Incursiones igitur eas, quae non alia ex causa diuturnae fuisse videntur, breves fuisse existimavi, id quod verba Pseudo-Xenophontea anno fere 424 scripta confirmant, quae res modo gestas exprimere mihi videntur.

Primam incursionem iam supra p. 17 Maio exeunte fuisse demonstravimus.

Secunda (430) facta est *τοῦ δὲ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου*, quibus verbis aut aestas i. e. calidum anni tempus inde a Maio fere medio incipiens significatum est aut omnino secundus belligerandi annus, qui incipit ut supra demonstravimus Febr. exeunt./Mart. ineunt. Utrum anni

πεντακόσια, σιτία ἄγοντα ἀπὸ Πελοποννήσου ἐς τὸ στρατόπεδον. cf. Thuc. II 10: *παρασκευάζεσθαι τά τε ἐπιτήδεια, οἷα εἰκός ἐπὶ ἔξοδον ἔκδημον ἔχειν.*

1) Pseud. Xenophon, De re publica Atheniensium (ed. Kirchhoff) II 5: *τοῖς δὲ κατὰ γῆν οὐχ οἷόν τε ἀπὸ τῆς σφετέρας αὐτῶν ἀπελθεῖν πολλῶν ἡμερῶν ὁδόν: βραδεῖαί τε γὰρ αἱ πορεῖαι καὶ σῖτον οὐχ οἷόν τε ἔχειν πολλοῦ χρόνου πεζῇ ἰόντα.*

2) Haec frumenti apportandi difficultas certe non minima fuit causa, cur Peloponnesii tam acriter Plataeas oppugnarent. Nam huius oppidi cives si liberi essent, cum Peloponnesios semper possent prohibere, ne Cithaeronem transirent, periculum fuisset, quominus totus exercitus periret; cf. Neumann-Partsch. p. 169 de Plataeis, oppido in radicibus Cithaeronis sito.

tempus eligas, dubitare potes; sed si tecum reputaveris, paucis diebus post incursionem pestilentiam Athenas invasisse, fortasse prius aptius esse videbitur; etenim Martio mense in Graeciae regionibus aurae frigidiores sunt, quam ut talem pestilentiam existere verisimile sit.

Tertiam incursionem definitam invenimus verbis *ἀκμάζοντος τοῦ σίτου* (II 70); quae non in Atticam vastatam sed in amicorum terram contra Plataeenses facta est. Quod temporis indicium, quamquam perbene congruit cum priorum incursionum temporibus, attamen falsum videtur Muellero-Struebing [1]). Traduntur autem primae res anno 429 ab exercitu Peloponnesiaco gestae hunc in modum: Frumento maturescente, Iunio nempe incipiente, exercitus ad Plataeas oppugnandas profectus, cum per paucos (fere sex) dies actum esset cum Plataeensibus de foedere faciendo, omni studio ac labore per septuaginta deinceps dies aggerem exstruxit; tum i. e. inde ab Augusto ineunte maior pars copiarum dimissa est et a reliquo exercitu inde ab Augusto ineunte usque ad Arcturi ortum i. e. Septembris d. XX. *περιτείχισις* circa totum oppidum aedificata et confinita est.

Quo in perparvo tempore, quod tanto illi operi muri exstruendi datur (fere 40 dierum) offendit Mueller-Struebing contenditque, verba illa *ἀκμάζοντος τοῦ σίτου* spuria esse, impetum autem sicut anno 430 circa Martem ineuntem factum esse. Qua ratione haec potissimum efficit v. d., primum ut ad muros aedificandos centum dies dentur, quod temporis spatium multo aptius difficili illi operi sit, deinde ut causa praesto sit, cur in opere nondum perfecto maior exercitus pars domum dimissa sit, tempus dico messis faciendae [2]). Quas Muelleri causas Steup [3]),

1) Thuc. Forschungen p. 252 sq.

2) Fortasse praeter hanc causam Archidamum, ut exercitus partem quandam dimitteret, aut Brasidae imperium movit, qui hoc fere tempore copias Cyllenam mitti iusserat (II 86) aut expeditio illa Cnemo duce paulo antea in Acarnaniam suscepta.

3) Thuc. ed. Classen II p. 228 sq.

quamvis veras esse putet, attamen rem ipsam aliter probare conatur. Contendit enim verba illa *ἀκμάζοντος τοῦ σίτου* Thucydidea esse, falsum vero numerum 'ἑβδομήκοντα' (II 75) traditum esse, qui nullo modo stare possit. Cuius numeri loco vel *ἑπτακαίδεκα* vel alium quendam numerum eumque minorem numero viginti poscit, qua ratione servari ea, quae proposuerit Mueller, cum spatium centum dierum ad *περιτείχισιν* tum dimissio ad messem faciendam. Totum locum sanum esse neque aut Muelleri aut Steupii emendationibus egere, denuo contendit Unger [1]), sed ut mihi quidem videtur falsis nixus causis; neque enim maiore parte exercitus dimissa 30,000—40,000 militum aderant — (an spuria esse verba illa II 78 *μέρος μέν τι καταλιπόντες τοῦ στρατοπέδου τὸ δὲ λοιπὸν ἀφέντες* putat una cum Stahlio (ed. Lips. 1883) vir ille doctus? —), neque aggere exstructo maior operis pars perfecta erat, quia varia materia aedificabantur murus aggerque (II 18 *τάφρος δὲ ἔντος τε ἦν καὶ ἔξοθεν, ἐξ ἧς ἐπλινθεύσαντο*), neque comparari potest talis agger, qualis IV 5; II 32; IV 90 describitur cum hoc muro aedificando. Si igitur Ungeri sententiam neglegimus, aliqua emendatione narratio Thucydidea carere videtur. Quaestio vero, de qua agitur, quo temporis spatio veteres aut oppidum muris circumdare aut aggerem exstruere potuerint, vix discerni potest, quia nec aggeris nec muri similis exstructio apud veteres exstat [2]) vel certo temporis spatio definita est.

At mihi quidem Steupii sententia verisimilior esse videtur, primum ex causis supra de re frumentaria commemoratis (Mueller-Struebing l. i. p. 254 exercitum 100000 militum fuisse putat), deinde quod agger facilius exstrui potuisse mihi videtur a maioribus copiis quam circumvallatio a minore exercitu, tum quod numerus facilius falso traditur quam tria haec verba [3]).

---

1) Phil. XLIII 35.

2) cf. exempla apud Baumeister. l. i. p. 532 et si placet Thuc. I 64; III 18; V 114; Diod. XIV 51.

3) Diodori narratio (XII 47, 3), Athenienses scilicet fru-

Quarta incursio *ἅμα τῷ σίτῳ ἀκμάζοντι* (III 1) i. e. Iun. ineunt. facta est.

Quinta et sexta incursiones accuratius difiniri nequeunt, quia nulla indicia exstant.

Septima incursio Aprili medio facta est [1]).

Itaque, quoniam pleraeque incursiones propter rem frumentariam frugibus maturescentibus i. e. Maio exeunt./Iun. ineunt. factae esse videntur, eam vero, quae maturius fiebat, accuratissime pluribus locis definivit Thucydides, non dubitavi, quintam et sextam Maio exeunti attribuere [2]). Quod attinet ad diuturnitatem singularum incursionum, praeter secundam, quae 40 dierum fuit, magis diuturnae, opinor, fuerunt, prima [3]) atque quinta [4]); reliquas propter difficultatem exercitus alendi breves esse putavi.

---

mentum virescens in Bottica delevisse (*τὸν σῖτον ἐν χλοῇ διέφθειραν*) — id quod eodem tempore fuisse, quo impetum in Plataeas factum esse, Thucydides tradidit — aut ex regionum varietate intellegi potest, aut falsa existimanda mihi videtur prae Thucydidis verbis.

1) IV 2: *ὑπὸ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους τοῦ ἦρος πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι* = IV 1: *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους περὶ σίτου ἐκβολήν* — IV 6: *ἅμα δὲ πρῳ ἐσβαλόντες καὶ τοῦ σίτου ἔτι χλωροῦ ὄντος.*

2) Qui viri docti incursiones ineunte vere factas esse putaverunt, haud scio an tempore, quo Plataeas Thebani ceperunt, fallantur.

3) Huius incursionis spatium ad 40 dierum numerum propius accedere demonstrant verba illa (II 19) *χρονόν τε πολὺν ἐμμείναντες*, qua cum definitione consentiunt Herbst et Mueller-Struebing, quorum alter spatium primae incursionis 30—35 diebus definivit (Phil. XLVI 570), alter spatium quater septem dierum fuisse putavit (Neue Jahrbücher für Philologie 123, p. 661. 676).

4) Thuc. III 26: *Καὶ ἡ ἐσβολὴ αὕτη χαλεπωτάτη ἐγένετο τοῖς Ἀθηναίοις μετὰ τὴν δευτέραν. ἐπιμένοντες γὰρ ἀεὶ ἀπὸ τῆς Λέσβου τι πεύσεσθαι.*

II. De anno civili.

1. Initia anni civilis ad nostros fastos accommodata.

Quaerentibus nobis, quando singulae res a Graecis gestae sint, unius cuiusque anni initium apud veteres ob eam causam maioris quam apud nos momenti fuisse apparet, quod ipso annorum initio maior magistratuum pars munus inibat, itaque tunc temporis quam maxime in re publica seditiosa potestatem cessisse ad alias partes verisimile est. Exhibuimus igitur initia decem illorum annorum (431—421) Mommsenium [1]) secuti, quocum ad diem fere consentiunt Boeckh [2]), Unger [3]), Schmidt [4]).

432	Iul.	d.	XV.	384	Pythodorus.
431	Aug.	„	III.	354	Euthydemus.
430	Iul.	„	XXIV.	384	Apollodorus.
429	Aug.	„	XI.	354	Epameino.
428	Iul.	„	XXXI.	354	Diotimus.
427	Iul.	„	XX.	384	Eucles.
426	Aug.	„	VIII.	355	Euthynus.
425	Iul.	„	XXII.	354	Stratocles.
424	Iul.	„	XVII.	384	Isarchus.
423	Aug.	„	V.	355	Amynias.
422	Iul.	„	XXVI.	354	Alcaeus.

Neque vero universi magistratus Kal. Hecatombaeonis munus inisse videntur. Opus est igitur accuratius, quando

1) Mommsen. Chronol. p. 403.

2) Boeckh. ap. Fleckeisen, Jahrbücher. Suppl. I 19.

3) Unger ap. J. Mueller I 587.

4) Schmidt. Chronol. p. 784. Mommsenium sequi maluimus, quia non persuasum habemus, νουμηνίᾳ κατὰ σελήνην anni 431 novilunium non significari (Unger. l. i.), quamquam non adsentimur eius sententiae de Metonis fastis (l. i. p. 407). Differunt autem initia singulorum annorum, a viris doctis computatione effecta, duobus tantum diebus.

singuli vel tres illi summae auctoritatis magistratus — archontes senatum praetores dico — munus inierint quaeramus.

Et de archontibus quidem nulla exstat controversia; immo expressis verbis Antiphon huius magistratus initium in Kalendas Hecatombaeonis incidisse testatur (VI 42, 44): ἔδει μὲν γὰρ τὸν βασιλέα, ἐπειδὴ ἀπεγράψατο, τρεῖς προδικασίας ποιῆσαι ἐν τρισὶ μησί, τὴν δίκην δ' εἰσάγειν τετάρτῳ μηνί, ὥσπερ νυνί. τῆς δ' ἀρχῆς αὐτῷ λοιποὶ δύο μῆνες ἦσαν, Θαργηλιὼν καὶ Σκιροφοριών . . . . ἐπειδὴ δὲ οὑτοσὶ ὁ βασιλεὺς εἰσῆλθεν, ἐξὸν αὐτοῖς ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας ἀρξαμένοις τοῦ Ἑκατομβαιῶνος μηνὸς τριάκονθ' ἡμέρας συνεχῶς τούτων, ᾗτινι ἐβούλοντο ἀπογράφεσθαι, ἀπεγράφοντο οὐδεμιᾷ [1]).

De senatu vero nunc, libro Aristotelis illo de Atheniensium republica invento, dubitatio nobis affertur. Legimus enim c. 32, quo Aristoteles de republica anno 411 instituta disserit, . . . ἡ μὲν βουλὴ ἐπὶ Καλλίου πρὶν διαβουλεῦσαι κατελύθη μηνὸς Θαργηλιῶνος τετράδι ἐπὶ δέκα, οἱ δὲ τετρακόσιοι εἰσῇσαν ἐνάτῃ φθίνοντος Θαργηλιῶνος· ἔδει δὲ τὴν εἰληχυῖαν τῷ κυάμῳ βουλὴν εἰσιέναι ιδ̄ ἐπὶ δέκα Σκιροφοριῶνος, quae postrema verba vix aliter transferes ac: 'debebat autem senatus sorte electus inire magistratum d. XIV. Scirophorionis', i. e. 16 (vel 15) diebus, antequam annus Atheniensium finiebatur. Computandi igitur nobis sunt inde a d. XIV. Scirophorionis singularum prytaniarum magistratus, cum adhuc putaverimus, senatum una cum archontibus primo anni die munus inisse [2]). Quem diem initium fuisse omnino veri dissimile esse mihi non videtur, quia et alii quoque magistratus item non Kal. Hecatombaeonis munera inibant [3]) et sic perturbatio primo anni die minuebatur. Addo sacrificia, quae Diisoteria dicun-

1) Aliud testimonium attulit Holzapfel. l. i. p. 48 (C. I. A. I 183 v. 13 sq.).

2) Busolt. ap. J. Mueller IV 1, p. 164.

3) e. g. οἱ ταμίαι τῆς θεοῦ et οἱ ταμίαι τῶν ἄλλων θεῶν XXVIII. d. Hecatombaeonis.

tur, de quibus, quando celebrata sint, adhuc sub iudice lis est. Exstant enim et apud Lysiam (XXVI 6) haece verba *ἡ γὰρ αὔριον ἡμέρα μόνη λοιπὴ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐστιν, ἐν δὲ ταύτῃ τῷ Διὶ τῷ σωτῆρι θυσία γίγνεται* et inscriptiones quaedam servantur, in quibus sacra *Διὶ σωτῆρι* facta commemorantur[1]). Quorum sacrificiorum posteria Boeckh, cum primum[2]) ad Dipolia (d. XIV. Scirophorionis) reduxisset, tunc verbis Lysiae commotus ad postremos dies Scirophorionis mensis ea pertinere contendit[3]), alii vero ut Mommsen[4]), Dittenberger[5]), Fraenkel[6]), priorem sententiam verisimiliorem fuisse putaverunt, quorum postremus Lysiae verbis aliud quoddam sacrificium, diversum a Dipoliis minorisque auctoritatis, significari duxit. Neque vero quidquam de hoc minore sacrificio nobis traditum est, maneretque plane obscurus locus ille Lysiae, si sequeremur sententiam horum virorum doctorum. Sin autem, nixi Aristotelis loco, senatum aliquo tempore d. XIV. Scirophorionis munus inisse putemus, perbene congruunt inscriptiones illae cum hoc loco[7]).

Neque obstant huic sententiae, quantum quidem intellego, computationes, quas de hac re instituit Boeckh. Fenus enim, quod Rangabé invenit atque rationes, quae hoc fenore computatae sunt a Rangabé Boeckhioque neutiquam mutantur, si pro ultimo Scirophorionis die decimum quartum eiusdem mensis ponamus, quia mensis intercala-

1) C. I. A. II. 741 — Dittenberger. Syllogae p. 548 — Boeckh. Staatshaushalt³ II 110, 125.

2) C. I. Gr. 157 v. 26.

3) C. I. Gr. p. 509; cf. Staatshaushalt³ II 125.

4) Mommsen. Heortol. p. 452.

5) Dittenberger. l. i. p. 549 adn. 15.

6) Fraenkel. ap. Boeckh. Staatshaushalt³ II p. 110 adn.

7) Commemorare mihi liceat, Metonis fastos initium cepisse inde a XIII. die Sciriphorionis (Diod. XII 36: *ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις Μέτων . . . ἐξέθηκε τὴν ὀνομαζομένην ἐννεακαιδεκαετηρίδα, τὴν ἀρχὴν ποιησάμενος ἀπὸ μηνὸς ἐν Ἀθήναις σκιροφοριῶνος τρισκαιδεκάτης*), id quod haud scio an illuc pertineat.

ris, quo computationes a Rangabé factae delerentur, non post ultimum anni mensem, sed post sextum intercalatur. Num vero Boeckh aliam ob causam, quam quod putaret senatum et archontes eodem die munus inisse, ultimum Scirophorionis diem elegerit, mihi plane est ignotum. Sexto quidem volumine opusculorum (p. 97) haec modo invenimus. „Da Rangabé das Archontenjahr und das Schatzmeisterjahr nicht unterschied, so setzte er als terminus ad quem den letzten Tag des Jahres Ol. 89, 2. Dies bleibt auch richtig, wenn das Schatzmeisterjahr erst später endete; denn obgleich nach der Ueberschrift die Rechnung von Panathenäen zu Panathenäen ging, ist sie eben auf die Archontenjahre gestellt.“ et paulo ante (p. 92) idem dixit: „Bei einer solchen Herstellung ist vorzüglich auf folgende Punkte zu achten. 1) ... 2) auf den Zinsfuss und den terminus a quo und terminus ad quem der berechneten Zinsen“; neque tamen posterioris termini mentionem fecit amplius.

At contraria Aristotelis verbis exstat inscriptio quaedam anni 407/06 [1]), in qua dies prytaniae cum diebus mensis ita comparati sunt, ut dubitare omnino non possimus, quin hoc anno senatus Kal. Hecatombaeonis munus inierit. Putemus igitur necesse est, quoniam nullo movemur indicio, ut mutata esse inter a. 430 et 407 initia magistratus ineundi opinemur, his quoque decem annis senatum primo Hecatombaeonis die munus inisse, Aristotelis vero verba de initio d. XIV. Scirophorionis facto aliud

1) C. I. A. I 189a. Dittenberger, Syll. 44b p. 86: *Ἐπὶ τε̃ς Ἐρεχθεΐδος δευτέρας πρυτανείας Ἑλλενοταμίαις καὶ παρέδροις Λυσιθέοι Θυμαιτάδει καὶ συνάρχοις,*

τρίτ[ει] καὶ δεκάτε[ι τῆς πρ]υτα[νείας, δεκάτει φθίνοντος Μεταγειτ]νιõνος

(pensiones)

δευτέραι καὶ εἰκοστ[ει̃] τε̃ς πρυτανείας, ἕνει κα[ν]έαι Μεταγειτνιõνος

ἐς τὲν διοβελίαν· ΗΓ⊦⊦⊦⊦.

cf. Mommsen. Chronol. p. 117, 166.

quoddam tempus rescipere [1]), quod ut indagarem, mihi adhuc non contigit. Computabo igitur pensiones, quae singulis prytaniis factae sunt nobisque servantur, inde a primo anni die, in distribuendis quattuor aut quinque illis diebus, qui unoquoque anno supervacanei sunt, Schmidtii [2]) sententiam secutus. Proposuit autem vir doctus, quattuor aut quinque illos dies supervacaneos [3]) aequo modo in primas supremasque prytanias dividere, nisi inscriptiones ipsae aliud praescriberent. Neque enim distributio, cuius mentionem fecit Aristoteles (c. 43) [4]) ad annos 431—421 quadrat, — id quod computationibus inscriptionum ex his annis servatarum demonstratur (cf. Mommsen. l. i. p. 164; Dittenberger. Syllog. 29 adn. 15 et 19).

2. Quando praetores creati sint et munus inierint.

Quaestio tertia persaepe tractata [5]), quae est de praetorum comitiis, nunc Aristotelis libro diiudicata est, quamquam vereor ut omnium exspectationi satis factum sit. Pro certo enim die comitiorum ex hoc libro illum modo diem accepimus, post quem comitia fieri deberent [6]), qui

---

1) De annis 332 et 331 item pro certo habemus, Kal. Hecatombaeonis senatores magistratum inisse; cf. C. I. A. II. I p. 80, 173 et C. J. A. II p. 412, 175; Mommsen. Chronol. p. 173.

2) Schmidt. Chronol. III 3.

3) In decem prytanias 350 (vel 380) tantum dies aequis portionibus distribui possunt, cum annus Atheniensium modo 354 modo 355 (vel 384, 385) dies contineat.

4) *πρυτανεύει δ' ἐν μέρει τῶν φυλῶν ἑκάστη καθ' ὅτι ἂν λάχωσιν, αἱ μὲν πρῶται τέτταρες ἕξ καὶ λ̄ ἡμέρας ἑκάστη, αἱ δὲ ϛ̄ ὕστεραι πέντε καὶ λ̄ ἡμέρας ἑκάστη.*

5) Droysen, Hermae vol. IX p. 16; Beloch, Die attische Politik seit Perikles p. 261 sq.; Gilbert, Beiträge zur innern Geschichte Athens p. 2 sq.

6) Aristot. c. 44: *ποιοῦσι δὲ καὶ δεκαρχαιρεσίας στρατηγῶν καὶ ἱππάρχων καὶ τῶν ἄλλων τῶν πρὸς τὸν πόλεμον ἀρχῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καθ' ὅτι ἂν τῷ δήμῳ δοκῇ· ποιοῦσι δ' οἱ μετὰ τὴν ϛ̄ πρυτανεύοντες, ἐφ' ὧν ἂν εὐσημία γένηται.*

dies ad nostros fastos accommodatus ad Kalendas fere Martias quadrat. Post primum igitur diem Martium et ipso Martio mense comitia fiebant; nimisque caute, credo, ageremus, si unquam factum esse putaremus, ut malis ominibus prohibiti Athenienses octava demum prytania praetores crearent, praesertim cum praeter legitima comitia alias quoque contiones advocari liceret [1]), quamquam fieri potuit, ut temporibus seditiosis per totam prytaniam comitia turbarentur aut vetarentur [2]). Utrum autem omnino dies accurate definitus fuerit legibus Atheniensium necne, dubium est; nos certe angustioribus finibus eum conterminare nequimus, licet verbis Aristotelis nixi [3]), prima contione plerumque praetores creatos esse putemus. Secunda enim supplicia fiebant; tertia vero et quarta *περὶ τῶν ἄλλων εἰσίν, ἐν αἷς κελεύουσιν οἱ νόμοι τρία μὲν ἱερῶν χρηματίζειν, τρία δὲ κήρυξιν καὶ πρεσβείαις, τρία δ' ὁσίων.*

Neque hae quattuor contiones quarti saeculi quadrant ad quintum; scholiasta quidem ad Arist. Acharn. v. 19. tres contiones legitimas unoquoque mense factas esse putavit (*ἡ πρώτη καὶ ἡ δεκάτη καὶ ἡ τριακάς*), quibus additas esse alias rebus cogentibus.

Itaque Martio mense praetores creati sunt. Qua cum temporis definitione perbene congruunt, quae sagaciter Beloch [4]) de comitiis disseruit, cuius verba („Soviel steht jedenfalls sicher, dass die Strategenwahlen um die Zeit der Frühlingsgleiche gehalten werden"),

---

1) Busolt ap. J. Mueller IV 1, 170.

2) Thuc. II 22: *Περικλῆς δὲ ὁρῶν . . . πιστεύων δὲ . . . ἐκκλησίαν τε οὐκ ἐποίει αὐτῶν (τῶν Ἀθηναίων) οὐδὲ ξύλλογον οὐδένα.*

3) Aristot. l. i. c. 43: *προγράφουσι δὲ καὶ τὰς ἐκκλησίας οὗτοι (οἱ πρυτανεύοντες), μίαν μὲν κυρίαν, ἐν ᾗ δεῖ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονεῖν, εἰ δοκοῦσι καλῶς ἄρχειν, καὶ περὶ σίτου καὶ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας χρηματίζειν, καὶ τὰς εἰςαγγελίας ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ τοὺς βουλομένους ποιεῖσθαι.*

4) Beloch. Die attische Politik seit Perikles, p. 268.

Aristotelis loco plane comprobantur. Comitia vero ad certos menses revocare frustra v. d. conatus est. Neque enim mensibus, sed eo temporis spatio veteres in computando usos esse, quo singulae prytaniae munere fungerentur, ex Aristotele nunc certiores facti sumus [1]). Quod anni tempus Athenienses ad comitia habenda omnium rerum ratione bene habita videntur mihi statuisse. Neque enim Martio Aprilique mensibus bellum exardescere solebat — modo nostram de incursionum tempore sententiam accipias [2]) — et ob Liberalia celebranda permulti agricolae rure in urbem conveniebant hoc fere tempore. Confirmatur autem haec sententia, si omnino alio testimonio opus esset, versibus illis Aristophanis Nub. 581 sq.

ἡνίχ' ἥρεῖσθε στρατηγὸν, τὰς ὀρφῦς συνήγομεν
κἀποιοῦμεν δεινά· βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀστραπῆς.

Tempestas enim mala perbene quadrat ad Martium et Aprilem mensem, non quadrat ad Maium mensem [3]).

Sed haec hactenus. Gravior vero hac quaestione de comitiis praetorum habitis altera exstitit de initio muneris ineundi, quae item ob Aristotelis librum denuo tractanda est. Nam cum usque adhuc praetores eodem die, quo plerique alii magistratus, munus inisse ducerentur [4]) nullam aliam ob causam, quam quod accuratius indicium praesto non esset, nunc locis duobus libri Aristotelis dubitatio nobis affertur, c. 43. et 31. dico, quorum hic Kalendas Hecatombaeonis, ille Panathenaea (Hecatombaeonis d. XXVIII.) spectare videtur. Sed accuratius re prioris loci quaesita eo ducimur, ut Panathenaeis praetores ma-

---

1) Mommsen. Chronol. p. 157: „Im allgemeinen lässt sich bemerken, dass in der älteren Zeit bei dem Datieren öffentlicher Akte die Benutzung des Kalenders weniger nötig befunden wurde, als die Bestimmung nach den Prytanien."

2) p. 21.

3) De solis lunaeque defectionibus, quae in sequentibus versibus fortasse significat poeta, vide Beloch. l. i. p. 269.

4) Gilbert. l. i. p. 13; Beloch l. i. p. 271; Busolt l. i. p. 153, 163.

gistratum inisse negemus. Aristoteles enim, postquam tres magistratus saeculi quarti (*ταμίαν στρατιωτικῶν* alios dico) suffragiis [1]) creari, creatos Panathenaeis munus inire tradidit, praetores item suffragiis creari nos certiores facit neque quidquam amplius. Etenim equidem persuasum non habeo, verbis illis '*χειροτονοῦσι δὲ καὶ τὰς πρὸς τὸν πόλεμον ἁπάσας*' eum sensum inesse, ut Panathenaeis praetores munus inierint [2]).

Confert ad hanc quaestionem disputandam monumentum quoddam, quod miror usque adhuc a viris doctis adhibitum non esse. Etenim praetorum magistratus, si summae auctoritatis fuisse putemus — de qua re una et consentiens vox est — iamdiu eo in loco eos requirere debebant, ubi splendor opesque Athenarum ante oculos nobis ponantur, in Minervae dico aedibus. Finxit enim Phidias in hyperthyro templi Minervae, ut nunc omnes concedunt, pompam Atheniensium ad summam arcem per singulos annos XXVIII. die Hecatombaeonis ductam, quo in opere fere nullum, qui pompae adesse soleret,

1) Magistratus illi *ταμίας στρατιωτικῶν* et *οἱ ἐπὶ τῶν θεωρικῶν ἑλληνοταμίαις,* qui post Euclidis annum in inscriptionibus non inveniuntur (Boeckh. Staatshaushalt[3] II adn. 316, 317) successisse videntur; *ἑλληνοταμίαι* vero ad singulos annos creati Panathenaeis ipsis aut post Panathenaea munus inibant (Boeckh. l. i. I 220). De magistratu, qui *ταμίας στρατιωτικῶν* vocatur, vide Boeckh. l. i. II adn. 317. De *ἐπιμελητῇ τῶν κρηνῶν* omnino nihil scimus.

2) Quin etiam, si Kaibelium Kiesslingiumque sequeremur, qui verba modo laudata hunc in modum interpretati sunt (Uebersetz. p. 73): „Diese drei wählen sie durch Handmehr, und die also gewählten amtieren von einem grossen Panathenaienfeste bis zum folgenden. Auf diese Weise besetzen sie alle Offizierstellen“, vix quisquam contenderet, praetores Kal. Hecat. munus inisse. Sed errant, opinor, viri docti vox quidem *Παναθήναια* eodem iure de magnis illis ludis quinto quoque anno celebratis dici potest, quo de annuis ludis. cf. Michaelis. Parthenon. Lips. 1871, p. 319.

neglexisse artifex ducitur [1]). Frustra vero inter sculpturas praetores requires; si modo interpretatione Michaelis uteris. Nam verbis illis (p. 214) „die Strategen und Taxiarchen mögen wir unter den Reitern suchen“, licet stare possint de magistris equitum, vix adsentiaris, quod quidem attinet ad praetores. Neque enim praetores equitibus praeerant, — itaque ad horum numerum omnino non pertinent — neque inter hanc equitum multitudinem discernere eos poterat quisquam. Opus est igitur, aut putare, Phidiam in fingendis illis sculpturis non tam veram imaginem pompae Atheniensium quam perfectissimam cuiuslibet pompae speciem reddidisse — id quod factum esse non nego — aut locum quendam inter ceteros excellentem requirere nos, sicut de archontibus Michaelis coniecit, qui in hyperthyro ad orientem spectante ficti sint [2]).

Quos praetores si quaeramus, in conspectum imprimis cadunt viginti illi [3]) curribus vehentes, qui armis distincti et ornati in septentrionali et meridionali parte sculpti sunt et qui adeo ceteris antecellunt, ut Friedrichs [4]) iudicaverit: „Die Prozession scheine vielmehr den Wagen als Hauptsache zu gelten.“ Plerique igitur viri docti hosce curribus vehentes *ἀποβάτας*, currus vero *ζεύγη πομπικά* et *πολεμιστήρια ἅρματα* nominant, quorum partem quandam antecedentibus diebus certamini equestri adfuisse contendunt. Neque vero haec curruum certamina Panathenaeis tanti momenti fuisse certiores facti sumus inscriptionibus quibusdam, quibus pretia singulorum certaminum servata sunt [5]).

1) Michaelis. l. i. p. 216: Je weniger Phidias in der Auswahl seiner Festteilnehmer seine Phantasie walten liess, desto bewunderungswürdiger entfaltete er seine Kunst. . . .

2) Michaelis. l. i. p. 214; cf. tabul. XIV 19—23, 43—46.

3) Michaelis. l. i. p. 238, 247. Etiamsi a septentrionali parte novem tantum currus spectantur, res ipsa neutiquam mutatur; etenim angustiis loci artifex prohibitus esse mihi videtur.

4) Bausteine I p. 167 sq.

5) C. I. A. II 965. cf. Dittenberger, Syll. II 395.

Itaque si veram pompam imitatum esse Phidiam putemus, magistratum quendam tali ornatu talique splendore dignum quaeramus oportet; in quo eligendo praetores praeter ceteros digni mihi videntur. Sin autem recte suspicemur, hosce curribus vehentes esse praetores, sine dubitatione praetores XXVIII. d. Hecatombaeonis munus inisse contendemus, quia unus tantum dies unoquoque anno exstat, quo viginti praetores sunt i. e. is dies, quo de potestate decessuri munus tradant successuris.

Quae interpretatio, quamquam veri dissimilis non est, tamen non tanti esse mihi videtur, ut ea nixi inde a Panathenaeis praetores munus inisse contendamus; itaque, priusquam non pluribus argumentis confirmetur haec sententia, in dubio relinquatur muneris ineundi tempus, nos vero, ut iam supra commemoravimus, sententiam usque adhuc probatam sequemur.

3. Index praetorum [1]).

Nomina praetorum ad hos decem annos pertinentia tam sagaci studio composuit Beloch, ut de omnibus fere nominibus cum eo consentiam. Sed, antequam hunc virum doctum secutus enumerem, quae nobis servata sint nomina e decem annuorum praetorum numero, paulo fusius disputare mihi liceat de Periclis causa.

Septima [2]) prytania anni 431/30 munere functa est inde a Mart. d. III. — April. diem VI.; incursio [3]) Lacedaemoniorum et pestilentia initium ceperunt Maio mense exeunte.

Quae sententiae, si probatae erunt a viris doctis — id quod fore spero nixus argumentis supra allatis — temporum definitiones, quibus Gilbert et Beloch de Periclis

---

1) Gilbert. l. i. p. 105 sq.; Beloch. l. i. p. 289 sq.
2) p. 38.
3) p. 21.

causa usi sunt, falsae esse debent. Uterque enim [1]) Pericli Athenienses non tam abrogasse imperium censuit, quod per quindecim deinceps annos tenuisset, quam non prorogasse comitiis in annum 430/29 habitis, id quod idem esset in viro tantae auctoritatis, quod abdicatio. Quae virorum doctorum sententia, si praetorum comitia Munychione mense aut paulo post fuisse incursionemque Martio exeunte aut Aprili ineunte [2]) factam esse arbitremur, fortasse stare potuit, licet nonnullis non ita veri similibus argumentis Belochii fidem habere cogamur [3]).

Nunc vero, nostra sententia probata, aliter controversia de Pericle accusato et damnato diiudicanda est.

Martio mense anni 430 Periclis opes apud plebem nondum imminutae erant [4]); sequitur, ut comitiis praetorum prytania VII ad annum 430/29 habitis praetor creatus sit. Itaque adscribere nominibus praetorum anni 430/29 illum debemus.

Maio ex./Iun. in. incursionem fecerunt Peloponnesii, qui priusquam recederent, Pericles sicut anno priore ad

1) Gilbert. l. i. p. 117 sq. Beloch. l. i. p. 330 sq.

2) Gilbert. l. i.: „Anfang Elaphebolion"; Beloch. l. i. „im Elaphebolion". Quin etiam, si incursionem hoc frigido anni tempore factam esse putemus, vix ea, quae vv. dd. de Periclis magistratu comitiis 430 non continuato disputaverunt, stare possunt, quia prytania VII iam magistratu abitura erat.

3) e. g. Beloch Periclem per 40 illos dies, quibus Peloponnesii in Attica versabantur, contiones vetantem facit; quae sententia neque cum Periclis expeditione hoc ipso tempore in Peloponnesum facta congruit neque cum Atheniensium legatione, ad quam mittendam certe contione opus erat; ut non dicam sententiam illam, ex qua Athenienses per tres prytanias, quamvis irati suffragiis professi sint, sese esse contentos Periclis magistratu, tunc demum sententia mutata, eum accusaverint. cf. Aristot. reip. Athen. c. 43. et 61.

4) Thuc. II 59: *Μετὰ δὲ τὴν δευτέραν ἐςβολὴν τῶν Πελοποννησίων οἱ Ἀθηναῖοι ὡς ἥτε γῆ αὐτῶν ἐτέτμετο τὸ δεύτερον καὶ ἡ νόσος ἐπέκειτο ἅμα καὶ ὁ πόλεμος, ἠλλοίωντο τὰς γνώμας καὶ τὸν μὲν Περικλέα ἐν αἰτίᾳ εἶχον.*

oras Peloponnesi vastandas ancoras solvit. Qua in incursione duobus in locis diutius versatos esse Peloponnesios tradidit Thucydides (*ἐν τῷ πεδίῳ πρὶν ἐς τὴν παραλίαν γῆν ἐλθεῖν* et *ἐν τῇ παραλίᾳ*), naves vero ex Piraeeo portu solvisse, cum Lacedaemonii in alteram regionem iam profecti essent. Unde efficitur, ut Pericles non ante Iun. d. XV. ancoras solverit [1]). Antequam autem redit Athenas, Lacedaemonii per 40 fere dies Atticam populati discesserunt [2]).

1) Mutanda est igitur Gilberti sententia (l. i. p. 117): Perikles hatte gleich beim Beginn des Einfalls einen Zug gegen die Küsten des Peloponnes unternommen.

2) Eodem tempore, quo Pericles circa Peloponnesum versabatur, Athenienses aura populari mutata legatos Spartam misisse (II 59), Gilberto adsentior. Etenim verba Thucydidea (II 59) *οἱ δὲ δημοσίᾳ μὲν τοῖς λόγοις ἀνεπείθοντο καὶ οὔτε πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους ἔτι ἔπεμπον ἔς τε τὸν πόλεμον μᾶλλον ὥρμηντο*, nisi in Hagnonis expeditionem cadere opinemur, qui (II 58) statim post Periclis reditum ancoras in Chalcidicam solvit, omnino sensu carere videntur. Ad Phormionis autem expeditionem Novembri mense demum susceptam pertinere ea, vereor, ut quisquam contendat. Quando vero Hagno et Cleopompus expeditionem illam 40 dierum (II 58) fecerint, discerni nequit. Fieri enim potest, quoniam Pericles et ad annum 431/30 et ad annum 430/29 praetor creatus est, illi vero *ξυστρατηγοὶ Περικλέους* nominantur, ut Hagno et Cleopompus praetores anni 430/29 fuerint (praesertim cum praetores Kal. Hecatombaeonis munus inisse arbitremur), expeditio igitur post Iul. diem XXIV. demum initium ceperit. Temporis spatium enim, quod inter discessum Peloponnesiorum et reditum Periclis interest, nullo indicio conterminatur (II 56 *τοὺς δὲ Πελοποννησίους οὐκέτι κατέλαβον ἐν τῇ Ἀττικῇ ὄντας, ἀλλ' ἀνακεχωρηκότας*), ad quam sententiam comprobandam Diodori ratio res gestas tradendi afferri licet, qui Hagnonis expeditionem insequente anno narravit. Nec minus fieri potest, ut tota expeditio ante Iul. diem XXIV., vel ante Panathenaea finita sit, cum XXVIII. die Hecatombaeonis munus inisse praetores putemus. In medio igitur relinquere hanc quaestionem debemus neque certo scimus, utri anno duo illi praetores adscribendi sint. Cleopompus anno 432/31 certe praetoris munere functus est (cf. infra p. 38).

Reditus igitur Periclis ante Iul. diem V. fuisse non potest. Usque adhuc certo fundamento temporum ordinem instruere possumus; quae sequuntur admodum dubia manent. Utrum Pericles magistratum anni 430/29 iniit, an Iulio medio iam accusatus est? Quaecunque de hac re nobis tradidit Thucydides, neque verba (II 59) *ἔτι δ' ἐστρατήγει* neque (II 65, 3) *οὐ μέντοι πρότερόν γε ἐπαύσαντο ἐν ὀργῇ ἔχοντες αὐτὸν, πρὶν ἐζημίωσαν χρήμασιν. ὕστερον δ' αὖθις οὐ πολλῷ, ὅπερ φιλεῖ ὅμιλος ποιεῖν, στρατηγὸν εἵλοντο καὶ πάντα τὰ πράγματα ἐπέτρεψαν,* nobis argumento esse queunt. Quem quisque desideret diem, hinc concludere ei licet. Et mea quidem sententia brevi post reditum Pericli imperium abrogaverunt Athenienses [1]), accusaverunt, accusatum pecunia multaverunt, id quod factum est Iul./Aug. Eodem vero anno, cum et morbus ineunte hieme languesceret et Atheniensium praetores in Lycia Chalcidicaque male rem gererent [2]) — id quod nunquam evenit Pericle duce (Plut. Pericl. 38), — Athenienses sententia mutata denuo Periclem praetorem creaverunt. Licet autem Pericles ex lege — id quod Gilbert atque Beloch arbitrantur, — comitiis ad annum 429/28 habitis creatus, initio anni 429 demum magistratum denuo inierit, attamen veri simile mihi non videtur reputanti et verba Thucydidea (II 65) *ὕστερον δ' αὖθις οὐ πολλῷ στρατηγὸν εἵλοντο καὶ πάντα τὰ πράγματα ἐπέτρεψαν* et ea, quae tradidit Plutarchus c. 37. Etenim si populus Atheniensis vere anni 429 ante bellum denuo exardescens intellexerit — ut censuerunt vv. dd. — sine Pericle duce res male geri, neque aliis praetoribus fidem habue-

1) Cur verba Plutarchi atque Diodori, qui ambo Periclem a magistratu remotum esse tradiderunt, nullius sint auctoritatis, equidem non intellego. (Plut. Pericl. 35: *ἀφελέσθαι τὴν στρατηγίαν*; Diod. XII 45: *ἀποστήσαντες αὐτὸν τῆς στρατηγίας*).

2) Thuc. II 69: *ἀναβὰς δὲ . . . ἐς τὴν Λυκίαν ὁ Μελήσανδρος ἀποθνήσκει καὶ τῆς στρατιᾶς μέρος τι διέφθειρε νικηθεὶς μάχῃ.*
II 70: *Ἀθηναῖοι δὲ τούς τε στρατηγοὺς ἐπῃτιάσαντο.*

rit, vereor, ut prae legis religione belli fortunam hisce ducibus fungentibus periclitati sint.

Sed haec hactenus. Veniamus iam ad indicem praetorum [1]).

Septima prytania anni 433/32, munere inde a Febr. d. XXIII. — Mart. XXIX. functa, in annum insequentem 432/31, qui initium cepit inde a die XV. Iul. mensis, praetores creati sunt:

Περικλῆς Ξανθίππου Χολαργεύς. (Thuc. II 13)
Φορμίων Ἀσωπίου [Παιανιεύς]. (I 6)
Σωκράτης Ἀντιγένους Ἀναγυράσιος. } II 23
Καρκίνος Ξενοτίμου Θορίκιος. } II 23
Πρωτέας Ἐπικλέους Αἰξωνεύς. } II 23
Καλλίας Καλλιάδου. (I 63)
Εὐκράτης. (C. I. A. IV 179)
Κλεόπομπος Κλεινίου [Σκαμβωνίδης] [2]).

Prytan. VII. anni 432/31 inde a Mart. d. II. — April. d. VIII.

Praetores anni 431/30:

Περικλῆς Ξανθίππου Χολαργεύς. (II 31)
Κλεόπομπος Κλεινίου [Σκαμβωνίδης]. } II 58 [3])
Ἅγνων Νικίου Στειριεύς. } II 58 [3])

1) De argumentis ad singulorum praetorum nomina allatis vide Beloch. l. i. p. 300 sq.

2) Cleopompum Thucydides (II 26) 30 navium ducem fuisse tradidit, quas Athenienses „ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον τοῦτον“ circa Euboeam miserunt. Quae temporis definitio aut ad tempus primae expeditionis navalis (i. e. Iunio fere medio) aut ad proelia apud Phiam commissa pertinet, quae proelia post d. III. Augusti i. e. duobus demum mensibus, postquam classis Athenis profecta est, facta esse vix quisquam contendet (Thuc. II 25). Diodori rerum distributionem non tanti esse mihi videtur, qua nixus Thucydidis verbis diffidam.

3) De Cleopompo et Hagnone ducibus vide supra p. 36 adn. 2.

Prytania VII. anni 431/30 inde a Mart. d. III.—April. d. VI.

Praetores anni 430/29:

Περικλῆς Ξανθίππου Χολαργεύς [1]).
Φορμίων Ἀσωπίου [Παιανιεύς]. (II 69)
Ξενοφῶν Εὐριπίδου Μελιτεύς. |
Ἑστιόδωρος Ἀριστοκλείδου. | II 70
Φανόμαχος Καλλιμάχου. |
Μελήσανδρος. II 69
Καλλιάδης. (Plut. Nic. VI) [2]).

Prytania VII. anni 430/29 inde a Mart. d. X.—April. d. XVI.

Praetores anni 429/28:

Περικλῆς Ξανθίππου Χολαργεύς. (II 65)
Φορμίων Ἀσωπίου [Παιανιεύς]. (II 103)
Κλειππίδης Δεινίου. (III 3) [3])

Prytania VII. anni 429/28 inde a Mart. d. XI.—April. d. XIV.

Praetores anni 428/27:

Ἀσώπιος Φορμίωνος [Παιανιεύς]. (III 7)
Πάχης Ἐπικούρου. (III 18)
Λυσικλῆς. (III 19)
Νικίας Νικηράτου Κυδαντίδης. (III 51) [4])

1) De Periclis praetura anni 430/29 vide supra p. 35.

2) Calliadem una cum Xenophonte cecidisse in Thracia tradidit Plutarchus (l. i.); quod Calliadis nomen a rerum scriptore ex Calliae nomine (praetoris anni 432/31) corruptum esse contendit Beloch. Licet autem vera sit haec sententia, tamen nomen indici praetorum huius anni adscripsi, quia nullum nomen usquam traditum, quod non pugnat contra res aliunde notas, reicere nobis libet.

3) Cleippides certe anno 429/28 praetoris munere functus est, si temporum ordinem infra p. 67 laudatum recte statuerimus.

4) Niciae praetura huius anni admodum dubia est. Tradidit enim Thucydides, Niciam *ἐν δὲ τῷ αὐτῷ θέρει μετὰ τὴν Λέσβου*

Νικόστρατος Διιτρέφους. (III 75)[1].

Prytania VII. anni 428/27 inde a Febr. d. XXII. — April. d. III.

Praetores anni 427/26:

Λάχης Μελανώπου Αἰξωνεύς. (III 86)
Χαροιάδης Εὐφιλήτου. (III 86)
Δημοσθένης Ἀλκισθένους Ἀφιδναῖος.
Προκλῆς Θεοδώρου.
Νικίας Νικηράτου Κυδαντίδης.   } III 91
Ἱππόνικος Καλλίου Μελιτεύς.
Εὐρυμέδων[2] Θουκλέους.

Prytania VII. anni 427/26 inde a Mart. d. VII. — April. d. XIII.

Praetores anni 426/25:

Ἱπποκράτης Ἀρίφρονος Χολαργεύς. (C. I. A. I 273)
Πυθόδωρος Ἰσολόχου.
Εὐρυμέδων Θουκλέους.   } III 115
Σοφοκλῆς Σωστρατίδου.
Ἀριστοτέλης Τιμοκράτους.   } III 105
Ἱεροφῶν Ἀντιμνήστου.
Σιμωνίδης. (IV 7)

ἅλωσιν in Minoam insulam incursionem fecisse. Capta autem est Lesbus fere Iun. ex./Iul. in. (cf. infra p. 67); supersunt igitur 20 tantum dies anni 428/27, inter quos, si quidem Nicias praetor huius anni fuerit, expeditio fuisse debet.

1) Nicostratus duodecim illis navibus Naupacto ad tumultum Corcyraeum sedandum profectis praefuit. Quae temporum definitio tam late nos vagari sinit, ut fere nihil ex ea concludere queamus. At nihilominus de hoc praetore recte iudicasse mihi videtur Beloch, quia iam dudum praefectus 12 earum navium mea quidem sententia fuit Nicostratus, quae Asopio mortuo ex Leucadia reversae Naupacti manserunt.

2) Eurymedontis nomen, a Belochio et anno 428/27 et 427/26 tributum, huic tantum anno adscripsi, quia plane ignoramus, quando Eurymedo cum 60 navibus Corcyram venerit; nam fieri potest, ut aut paulo post seditionem Corcyraeam ruptam autlongo spatio interiecto naves solverit.

Prytania VII. anni 426/25 inde a Mart. d. VII. — April. d. X.

Praetores anni 425/24:

Νικίας Νικηράτου Κυδαντίδης (C. I. A. I 273)
Εὐρυμέδων Θουκλέους. }
Πυθόδωρος Ἰσολόχου. } IV 65
Σοφοκλῆς Σωστρατίδου. }
Νικόστρατος Διτρέφους } IV 53
Αὐτοκλῆς Τολμαίου Ἀναφλύστιος. }
Δημοσθένης Ἀλκισθένους Ἀφιδναῖος, (C. I. A. I 273)
Ἀριστείδης Ἀρχίππου. }
Δημόδοκος Ἀναγυράσιος. } IV 75
Λάμαχος Ξενοφάνους. }
Κλέων Κλεαινέτου Κυδαθηναιεύς.

Prytania VII. anni 425/24 inde a Febr. d. XXV. — Mart. d. XXXI.

Praetores anni 424/23:

Νικίας Νικηράτου Κυδαντίδης. }
Νικόστρατος Διτρέφους. } IV 119
Αὐτοκλῆς Τολμαίου Ἀναφλύστιος. }
Ἱπποκράτης Ἀρίφρονος Χολαργεύς. } IV 84
Δημοσθένης Ἀλκισθένους Ἀφιδναῖος. }
Θουκυδίδης Ὀλόρου Ἁλιμούσιος. } IV 104
Εὐκλῆς [Οἰνοβίου Δεκελεύς] }
Κλέων Κλεαινέτου Κυδαθηναιεύς ?

Prytania VII. anni 424/23 inde a Mart. d. IV. — April. d. X.

Praetores anni 423/22:

Νικίας Νικηράτου Κυδαντίδης ? } IV 120
Νικόστρατος Διτρέφους ? }

Prytania VII. anni 423/22 inde a Mart. d. IV. — April. d. VII.

Praetores anni 422/21:

Κλέων Κλεαινέτου Κυδαθηναιεύς.

4. De feriis publicis.

E feriarum numero, quae aut ab auctore ipso commemorantur, aut aliam ob causam huc pertinent, sex hac nobis afferendae sunt, de quibus pauca admodum moneamus liceat, quandoquidem controversias omnes de singulis feriis diiudicare nequimus.

Παναθήναια celebrabantur XXVII.—XXVIII. dieb. Hecatombaeonis [1]).

Ἐπιτάφια . . . . VII. die Pyanopsionis [2]).

Διονύσια τὰ μεγάλα . . . IX.—XIV. dieb. Elaphebolionis [3]).

Ὀλύμπια . . . . plenilunio aut Aug. aut. Septemb. mensis [4]).

De Olympiis, quae antea ab omnibus vv. dd. primo post solstitium aestivum plenilunio tribuebantur, nostra aetate sententiae valde inter se discrepant. Sed longum est hic denuo totam rem tractare; satis esse mihi videtur, si monemus, de Olympiorum tempore anni 428 Ungerum cum Nisseno consentire, quorum hic Septembris die XIII. Olympia celebrata esse ducit, ille omnes ludos usque ad huc notos Metagitnioni tribuit. Plenilunium autem Metagitnionis anni 428, qui initium capit inde ab Iul. die XXXI. cadit in Septembris diem XIII. Mommsenii vero sententiam, qui Olympia Augusto mense celebrata esse contendit, stare posse nego (l. i. p. 54). Neque enim aestatis spatium aequinoctio autumnali conterminatur (cf. supra p. 13 sq.)

1) Michaelis. Parthenon p. 211, 118. Stengel. ap. J. Mueller V 3, p. 152. Nissen. Rh. Mus. XL 336.

2) Mommsen. Heortolog. 215, 279. Sauppe. Nachrichten der Göttinger Gesellschaft der Wissenschaften 1864, p. 215, ubi Maimacterione mense epitaphia fuisse contendit.

3) Stengel. l. i. p. 166.

4) Nissen. Rh. Mus. XL 349 sq. Unger. apud J. Mueller. I 603. Mommsen. Ueber die Zeit der Olympien p. 21.

et verba *περὶ τὸ φθινόπωρον ἤδη ἀρχόμενον* cum Octobri mense ineunte bene congruunt, sicut contendit Nissen l. i. p. 353. Nam, siquidem *φθινόπωρον* et Arcturi ortu (Sept. d. XX.) et Vergiliarum occasu (Novemb. d. XI.) conterminatur, quid impedit nos, quominus Octobris initium cum *φθινοπώρῳ ἤδη ἀρχομένῳ* congruere contendamus.

Π ύ θ ι α celebrabantur Bucatio (= Metag.) mense (die VI.?)[1].

Δ ή λ ι α celebrabantur Aprili mense (?)[2].

Boeckhi sententiam (l. i.), Delia scil. esse celebrata VI. et VII. dieb. Thargelionis („In der schönsten Maienzeit" ?), nuper Robert. (l. i.) argumentis quibusdam falsam esse contendit, quibus assensus est Nissen. Sed in statuendo die Deliorum valde inter se discrepant viri illi docti, cum ille nixus inscriptionibus *Ἱέρῳ* mense, qui idem est atque Anthesterion (Februar), sacra facta esse putet, hic et templi cuiusdam situ fretus et verbis Dionysii Periegetae[3]) circa April. diem IV. Delia celebrata esse ducat. Neque mihi quidem, si modo Dionysio fidem habemus, Roberti sententia stare posse videtur, quia luscinia non ante Aprilem ineuntem in Graeciam advenit[4]). Quod vero temporis spatium mira illa voce '*κύει*' Dionysius significet, ego equidem non video.

1) Kirchhoff. Monatsberichte der Berl. Academie 1864, p. 169 sq. Stengel. l. i. p. 145. Mommsen. Chronologie p. 206 adn.; 425. Unger. Phil. XLIII ad annum 422.

2) Robert. Hermae vol. XXI 161. Nissen. Rh. Mus. XLII 40 sq. Boeckh. Staatshauhalt[3] II 72; I 486. Stengel. l. i. p. 176.

3) V. 527: *ῥύσια δ' Ἀπόλλωνι χοροὺς ἀνάγουσιν ἅπασαι (νῆσοι)/ ἱσταμένου γλυκεροῦ νέον εἴαρος, εὖτ' ἐν ὄρεσσιν / ἀνθρώπων ἀπάνευθε κύει λιγύφωνος ἀηδών.*

4) Mommsen. Griechische Jahreszeiten p. 243: „Ankunft anfangs April; Legezeit anfangs Mai."

III. Qua ratione Thucydides res gestas tradiderit.

Antecedentibus capitibus ea omnia componere temptavimus, quibus nixi temporum ordinem belli, quod vocant, Archidamici statuere debemus. Sed, antequam hanc rem aggrediamur, paulo accuratius, opinor, quaerendum est, qua ratione Thucydides ipse res gestas tradiderit.

Inveniuntur autem apud Thucydidem duo tempora notandi genera, quae inter se discrepare videntur, et incertae illae significationes aut ex anni partibus aut ex frumenti statu sumptae, ut *ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ, τοῦ σίτου ἀκμάζοντος* similes, quibus addidit auctor definitiones ad diem accuratas ut quinto die, 80 diebus post, alias, et perpaucae illae accuratae computationes, quas legimus libri quinti c. 20, 26 [1]).

Plerumque igitur Thucydides, quo diligentior in enumerandis singulis rebus esse solet, quarum altera alteri succedit, eo minus eius interest, quo tempore singulae res gestae initium ceperint, aut finitae sint, quin etiam nonnunquam hae quoque incertae temporum definitiones desiderantur. Fabula, ut comparatione utar, ante oculos nostros agitur, in qua unum quemque actum perspicere possumus, fabulam ipsam temporum finibus circumscribere nequimus. Aptum exemplum praebetur anno 427, quo, qui Corcyrae factus est tumultus, tam vividis coloribus depingitur, ut praesentes spectare opinemur. Unaquaeque res horum facinorum ab insequente acriter separatur, attamen ne minimum quidem temporis indicium, quo tota res acciderit, traditum est. Omnis consilii expertes sumus, id modo scimus, aestate anni 427 pugnatum esse Corcyrae, nec quicquam amplius. Quod hoc anno id fere

1) Omitto paucas illas e stellarum ortu et feriis sumptas temporum definitiones.

semper fit, ut conicere audeam, a Thucydide omnino universum rerum gestarum conexum de industria silentio esse praetermissum. Imagines, ut ita dicam, pictas aliam iuxta aliam quasi in parietibus posuit, adnotationes vero continuas ex intestino civitatum et Peloponnesiorum et Atheniensium statu desumendas plerumque omisit, neque plura de temporum ordine tradidit, quam quibus indigere nequimus indiciis ad designanda imaginum loca. Acerrima norma dirigere atque constituere Thucydidis artificis non erat.

Sunt autem illa ex fructuum statu sumpta incerta indicia, quibus plerumque usus est Thucydides, nihilominus optima adminicula ad tempora definienda, cum temporum definitiones ex anno sumptae paulo latius nos vagari sinant[1]). Si Steupum[2]) sequeremur, qui Ungeri verba, dum laudat, verbis *τοῦ σίτου ἀκμάζοντος* veram temporis notam dari neget, plane de consilio definiendi tempora decedamus necesse est. Tunc imagines illae parietibus, quibus infigantur, omnino carent[3]).

Praeter hasce autem incertas temporum definitiones a fructuum statu sumptas, quibuscum nulla indicia nisi incerta, anni partibus definita, coire videntur, accuratae illae ambae computationes libri V 20., 26. exstant, de quibus, cur computaverit Thucydides, difficile est intellectu.

---

1) cf. supra p. 3 sq.

2) Thuc. (ed. Classen. 1889) II p. 219.

3) Miror quod Mommsen (Chronol. p. 386 adn. 1), qui suo iure discrimina caeli singularum regionum premit, Thucydidem ea neglexisse putaverit. Immo vero mea quidem sententia Thucydides, quas narrationes de frumento flavescente aliasque audivit, eas non mutatas operi suo adiunxit neque ad frumenti Attici tempora redegit; nos vero has temporum notas, donec ex omnibus belli Peloponnesiaci regionibus fructuum status nobis noti sint, sic intellegere debemus, quasi ad Atticam pertinerent. Consideres quaeso, quomodo Mommseni sententia stare tibi videatur legenti, socios Lacedaemoniorum auxilio non venisse, quia *ἐν καρποῦ ξυγκομιδῇ ἦσαν* (Thuc. III 15).

Sed antequam, quae mihi verisimillima causa fuisse videatur, proferam, breviter, qua ratione computationes illae stare possint, quaerere debemus.

Agitur de verbis saepe tractatis, quae exstant V 20, 26: *Αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι, ἐκ Διονυσίων εὐθὺς τῶν ἀστικῶν αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν ἢ ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο . . . . ἔτη δὲ ἐς τοῦτο τὰ ξύμπαντα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ κ΄ . . . . ὥστε ξὺν τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷ δεκαέτει καὶ τῇ μετ᾽ αὐτὸν ὑπόπτῳ ἀνακωχῇ καὶ τῷ ὕστερον ἐξ αὐτῆς πολέμῳ εὑρήσει τις τοσαῦτα ἔτη, λογιζόμενος κατὰ τοὺς χρόνους, καὶ ἡμέρας οὐ πολλὰς παρενεγκούσας, καὶ τοῖς ἀπὸ χρησμῶν τι ἰσχυρισαμένοις μόνον δὴ τοῦτο ἐχυρῶς ξυμβάν.*

Plerumque unusquisque a Thucydide traditus dies ad nostros fastos transfertur, diesque hoc modo inventi atque nominati inter se comparantur, qui computandi modus mihi falsus atque ineptus esse videtur. Licet sane Thucydidem quamvis eruditissimum rebus caelestibus fingas, *ἔτος* quod his locis vocat, idem esse ac nostrum annum, qui constat ex $365^1/_4$ diebus, vix credas. Quomodo autem Mommsen [1]), qui Thucydidem reapse computantem annos $365^1/_4$ dierum facit, hoc fieri potuisse putet, vereor ut intellegas, praesertim apud veteres quam difficillima fuerit unaquaeque ratio si tecum reputaveris. Vide e. g. rationem rudem, quam Herodotus a Solone (I 32) factam esse tradidit, aut falsam illam computationem, quam ipse habuit (II 142) de hominum vitis, aut, si placet, VII 187.

Neque octaeteridis neque Metonis fasti adiuvare eum potuerunt. Si omnino anni computabantur, continebat annus duodecim menses, quorum unusquisque triginta dies habebat, ut aperte demonstrat nobis Herodotus [2]).

1) Mommsen. Chronol. p. 385.
2) Herod. I 32 cum adnot. Steini; III 90, 92, 94.

Quin etiam, ut Thucydides anno illo $365^1/_4$ dierum usus sit eodem modo, quo Boeckh verum anni spatium rationibus suis supponit [1]), attamen nullo modo sperare potuit, eos, qui lecturi sint, eadem inusitata ratione usuros esse, itaque hoc modo statuisset computationes, quas nemo rectas esse putasset.

Computationes et decem et viginti septem annorum aut inde a die quodam fastorum factae sunt — quos ad hasce rationes, nisi aliud quidquam inveniamus, adhibitos esse, quamquam contraria exstant Thucydidis verba [2], putemus necesse est — aut inde a die festo aut a stellae ortu aut a simili annua re, quae et a primis et a postremis rebus cum prioris tum totius belli non ita longe absit. Omnes enim illi termini fieri potest, ut adhibiti sint; aequinoctium modo non iam affero, quippe quod plane alienum a veterum cogitationibus fuerit [3]). Aliae quoque sententiae exstant ut Baueri, qui hoc modo rem contortam enodare se posse sperat [4]): „Plataiae ist ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ überfallen worden; ἅμα ἦρι ist der Vertrag geschlossen. Das ergiebt die von Thucydides gewünschte Dauer des ersten Krieges „αὐτόδεκα ἔτη nach seiner Rechnung κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας", cui adsentiri nequimus, quia hac ratione et supervacanea omnino essent verba illa Thucydidea ὀλίγαι ἡμέραι, et cogeremur una cum Lipsio [5]) et aliis vv. dd. verba ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικήν ut spuria eicere, id quod fieri licere negamus.

---

1) Boeckh. Mondcyclen p. 80: quibuscum conferas, quae ad indutias Ol. 87, 1 disseruit: „es ist aber, wie bemerkt, von natürlichen, d. h. der Ansicht auch des Altertums gemäss ohngefähren julianischen Jahren die Rede." An cogitet hoc loco vir doctus de anno 360 dierum?

2) Thuc. V 20: σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους καὶ μὴ τῶν ἑκασταχοῦ ἢ ἀρχόντων ἢ ἀπὸ τιμῆς τινος τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν ὀνομάτων ἐς τὰ προγεγενημένα σημαινόντων πιστεύσας μᾶλλον.

3) cf. supra p. 13 sq.

4) Phil. XLVI 483.

5) Lipsius. Leipz. Stud. 1885, p. 163.

Noti sunt igitur in diversis computationibus, quae cogitari possunt, termini ultimi: Elaphebolion. d. XIV.[1]) et Munychion. d. XVI., de quibus adhuc, quantum scio, non dubitatur. Deinde nota sunt diversa et quae inter se discrepant belli initia, Plataicum diem et diem incursionis dico, quae alia quadam ratione inveniri possunt. Nota postremo diversae ratiocinandi viae, quas supra enumeravimus. Quae computandi variationes fastorum illius temporis perturbationibus augentur. Computes igitur licet:

1. per totos belli annos Attica octaeteride usus sive meministi, annum $4^{22}/_{21}$ interçalarem, ut debebat, non fuisse, sive neglegis;

2. per totos belli annos cyclo Metonis usus;

3. et Octaeteride et Metonis cyclo usus inde a Liberalibus aut stellarum ortu[2]).

	431.	**421.**	**404.**
I. Octaet.:			
1.	Plataearum occupatio: Gamelione exeunte.	Pacis initium: Elapheb. d. XIV.	Athenae captae: Munych. d. XVI.[3])
2.	Incursio in Atticam: Elaphebol. med.	” ” ”	” ” ”

1) Inde ab Elaphebolione d. XIV. vel d. VIII.—XIV. computari debere, non ab ἕκτῃ φθίνοντος supra demonstravimus p. 18. Discrepantia vero inter duos hosce dies quomodo solvi possit, sive diversis temporibus diversa scripsit Thucydides atque edidit, sive decem annorum spatio delectabatur, equidem nescio. Quae singuli viri docti de hac re scripserint, congessit G. Meyer. Ilfelder Programm 1889, p. 28.

2) Stellarum non amplius rationem habui, quia hoc ipso tempore, de quo agitur, a veteribus rerum scriptoribus non commemorantur.

3) A Plutarcho eum, quem accepimus Athenarum captarum diem, ex octaeteridis fastis desumptum in Metonis fastos

	431.	421.	404.
II. Meton:			
1. Plataearum occupatio: Anthesterione exeunte.		Pacis initium: Elaph. d. XIV.	Athenae captae: Munych. d. XVI.
2. Incursio in Atticam: Munychione med.		" " "	" " "
III. Octaet. et Met.:			
1. Plataearum occupatio: Gamelione exeunte.		" " "	" " "
2. Incursio in Atticam: Elaphebolione med.		" " "	" " "

Quae et primo et tertio loco (I 1, III 1) proposuimus, adhiberi non posse nemo negabit, nisi forte aut 45 dies paucos dies esse censebit[1]) aut Thucydidem, qui mensem intercalarem neglectum esse probe sciret, in rationibus triginta dies dempsisse putabit. Eo vero melius, id quod proposuimus sub I 1 belli initium, incursionem dico in Atticam factam Elaphebolionis fere d. X., quadrat ad Thucydidis rationem, quia sic prima belli pars esset decem annorum atque quattuor fere dierum (*αὐτόδεκα ἔτη καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν*), totumque

---

translatum esse, vix quisquam credat; neque hac quidem computatione mutaretur quidquam, quia utrisque in fastis — Schmidtium sequor (l. i. p. 784) — annus 405/404 communis est.

1) Quot „*ὀλίγαι ἡμέραι*“ sint, iis, qui Thucydidem ex duabus rebus gestis computasse negant, dubium non erit, dummodo, ut necesse est, coniungant *τελευτῶντος τοῦ μηνός* (Thucyd. II 4) cum *εὐθὺς ἐκ τῶν Διονυσίων τῶν ἀστικῶν* (V 20). Sive *ἡμέραι παρενεγκοῦσαι* dies aliquos significant, qui additi sunt, sive eos qui absumpti sunt, semper spatium 15 dierum relinquitur, aut 45 dierum.

bellum viginti septem annorum atque triginta quinque dierum. Boeckhum [1]) sane si sequeremur, posterior ratio falsa esset, quod Thucydides non dies paucos, sed mensem dixisset, si dierum numerus mensem excessisset; sed re vera persaepe dierum multorum numerum non ad mensis formam redactum esse invenimus ut (II 19) 80 dies, (II 57) 40 dies, (IV 39) 72 dies [2]). Numerusne dierum 35 cum verbis Thucydidis *ἡμέρας οὐ πολλὰς παρενεγκούσας* pro tot annis coire possit, discerni nequit. Mihi aeque ac Muellero-Struebing [3]) 35 dies supervacanei videntur „etwas, das sich schon hören lässt". Neque aliter sentit Bauer [4]), qui sine ulla dubitatione 38 dies *οὐ πολλὰς παρενεγκούσας* esse dicit. Quae loco secundo (II 1) proposuimus, ad primam belli partem bene quadrat, non quadrat ad totum bellum; nimis multi enim videntur 46 dies. Iis denique, qui *παρενεγκούσας ἡμέρας* et dies additos et demptos esse putent, ut Unger, non ineptum videbitur id quod inferiore parte loci secundi (II 2) proposuimus, sed mihi eorum sententia, qui additionem tantum significari illis verbis dicunt ut Boeckhi, Herbsti [5]), aliorum rectior esse videtur.

Restant igitur Liberalia, quae Thucydides V 20 expressis verbis nobis affert.

Quamquam nostris temporibus unus Wilamowitz [6]), quantum scio, eorum rationem habuit [6]), attamen mihi

1) Boeckh. ap. Fleckeisen. Jahrbücher Suppl. I p. 77.

2) Wilamowitz. Curis Thucyd. 16. 2: cui adsentitur Bauer. Phil. XLVI 486.

3) Mueller-Struebing. Neue Jahrbücher für Philol. p. 666.

4) Bauer. Phil. XLVI 484.

5) Suo iure Herbst contra Ungerum contendit, in verbis *εὑρήσει τις τοσαῦτα . . καὶ ἡμέρας οὐ πολλὰς παρενεγκούσας* vocem '*καὶ*' stare non posse atque plane supervacaneam esse, si ultima sententiae parte deesse nonnullos dies toti 27 annorum spatio monemur.

6) Wilamowitz (Curis Thuc. p. 16 sq.) ex Liberalium commemoratione interpolatoris manum cognosci posse, mihi non persuasit.

quidem fundamentum totius rationis esse videntur. Quod vero inde a Liberalibus initium computandi capimus, hac in ratione nihil nisi id monemus, Thucydidem neque perdifficilibus computationibus anni solaris, aut anno 360 dierum usum esse, neque fastis, quippe quos ipse claris verbis refutaret. Itaque eam sententiam, quam in tabula loci primi inferiore parte (I 1) proposuimus, eligemus et huius ipsius sententiae gratia Ungerum Mommsenumque secuti censebimus, Thucydidem, quod consilium (II 1) nobis praedicat (*ἄρχεται δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη Ἀθηναίων καὶ Πελοποννησίων καὶ τῶν ἑκατέροις ξυμμάχων*), id neglexisse, quantum quidem attinet ad V 20. 26.

Computavit ergo bellorum annos octaeteride Attica usus, qualis Athenis tunc usui erat, *inde a Liberalibus usque ad Liberalia*. Cui sententiae verba V 20 non obstant. Quamquam enim Herbst permultos locos attulit, quibus vox *καὶ* exstat (*ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε*) alibi aliter intelligenda, attamen nihil valent ad nostram interpretationem.

Merito autem qui duos computandi modos stare posse negant, interrogabunt, quanam re Thucydides, ut initium rationis mutaret, commotus sit. Quibus quaerentibus Unger respondit, numerum ‚decem‘ summum ex simplicibus numeris esse permultumque valuisse in Atheniensium institutis. Quam sententiam, licet Herbst rursus refutare conatus sit, neque ipse veram esse persuasum habeam, attamen libenter adsentior viro illi docto, Thucydidem gavisum esse, quod prima belli pars fere ad diem accurate decem annorum esset, id quod tam voce *αὐτόδεκα* (V 20) quam sententia (V 26) *ξὺν τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷ δεκαέτει* demonstratur, in qua posteriore sententia verba *τῷ δεκαέτει* supervacanea omnino sunt. Bellum autem decem annorum nullum nisi Troianum fuisse ea aetate, qua Homeri carmina in scholis ediscebantur atque recitabantur, nemo

---

1) Herbst. Phil. XLI 638.

non sentiet. Quod vero melius exemplum imitari potuit, quippe qui Herodoti opere, quod anno 425 demum edebatur, adeo non commoveretur, ut refutaret tantum errores illius auctoris. Auctoritatem autem cuiusquam secutum esse Thucydidem, qua non tam veteres rerum scriptores, quos logographos vocamus, quam Homerum floruisse, quippe qui illis temporibus vere scriptor rerum esse duceretur, vix quisquam negabit. Thucydides autem initio belli Archidamici, cum verba illa (II 1) *ἄρχεται δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε κτλ.* scriberet, fortasse, ut refutaret alia ab aliis aliunde sumpta initia [1]), scire sane non potuit, ea quoque in re auctorem suum secuturum se esse fortuna adiutrice, quod utrumque bellum paris esset diuturnitatis.

Quem vero consensum cum postea cognovisset, quamquam non dubitavit suum opus exemplo quam simillimum reddere, attamen, qua erat diligentia, certiores nos facere non neglexit, accurate computanti inde ab incursione ratiocinandum esse.

Iam compluria in opere Thucydideo, nisi fallor, auctorem Homerum nobis indicant; ac primum quidem, quod commemoravit saepius atque argumenti causa attulit Homerum, deinde quod aeque ac Homerus singulas imagines depinxit, depictas paucis tantum lineis inter se coniunxit, — id quod supra fusius demonstravimus — tum quod de industria narrare neglexit, quomodo inter

---

1) Revera hoc bellum a scriptoribus quibusdam, iisque non malis, inde ab initio belli inter Corinthios et Corcyraeos gesti computatum esse, demonstratur et versu quodam Aristophanis poetae et scholiastae verbis ad hunc versum, qui vera falsis miscuit. Arist. Pac. v. 990, quae fabula anno 421 instructa est,

οἵ σου τρυχόμεθ' ἤδη τρία καὶ δέκ' ἔτη

Schol. ad. v. 990: *Τὸ χ ὅτι οὐ συμφωνεῖ τοῖς χρόνοις, ἃ λέγει. καὶ ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν* (v. 266) *φησὶ "ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖδον εἰς τὰ χωρία". ἀλλὰ καὶ ὁ Φιλόχορος ἀπὸ Πυθοδώρου, ἀφ' οὗ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου δοκεῖ γεγενῆσθαι, μέχρι Ἰσάρχου καθαριθμούμενος εἰς τὰ ιγ' ἔτη συνάγει τοὺς χρόνους* (cf. Thuc. I 146).

se cohaereant res hic illic gestae [1]) — saepius autem alterum facinus ex altero natum esse, ut necem Plataeensium ex Mytilaenorum nece, nemo negabit, — tum quod silentio praetermisit complures res gestas, quae minoris momenti erant ut pugnas Sicilienses [2]) primorum annorum, ut defectionem atque recuperationem oppidorum quorumdam Chalcidicae, ut discidia [3]) inter Athenienses atque Perdiccam, nobis e decretis Methonaeorum cognita, quarum singulari enumeratione narratio varia atque confusa reddita esset.

Noli putare, me hoc modo obtrectare auctoritati Thucydidis, qua praeter ceteros fere totius antiquitatis floret ob magnam in rebus enarrandis fidem; neque mehercle videtur grande illud opus dignum Muelleri-Struebing verbis: 'eine martialisch didaktische Epopoe'. Sed primam operis totius partem, qua bellum decem annorum continetur, perfectum quoddam atque expolitum opus esse et artificis manu compositum, recte dixisse puto Muellerum-Struebing. Nec dissentit a nostra sententia Nissen [4]), qui nuper cum dissereret de initio belli Peloponnesiaci, indicavit, quam artificiose, ne dicam *δραματικῶς*, Thucydidis primus liber exstructus sit. In dies magis augetur numerus eorum, qui vel ipsum Thucydidem neutrius fuisse partis negent, concedantque Periclis gratia cum inimicitias intestinas tum studia atque expeditiones, quae ad occidentem spectarent, quam maxime silentio praeterisse; neque tamen minuitur auctoritas Thucydidis. Haud scio

1) Diodorus, vel is, quem secutus est auctorem, saepius rerum conexum restituere conatus est, ubicunque in promptu atque manifestus erat, ut in expeditone classis Atheniensium, cum in Attica erat Peloponnesiorum exercitus; quem conatum, tametsi non semper refutare possumus, tamen parvi aestimabimus; cf. Mueller-Struebing. Neue Jahrbücher f. Philologie 123, p. 661. 676.

2) Nissen ap. Sybel. Histor. Zeitschr. 1889, p. 423.

3) Kirchhoff Abhandl. der Berl. Akademie 1882 p. 913.

4) Nissen l. i. p. 387.

an posteri Thucydidem artificem clarum ducturi sint, quippe qui poetae opus imitando demonstraverit, qua ratione narrationis veritas coniungi possit cum arte poetae.

Ad quam scribendi rationem cum multa alia artificia adhibuit auctor, tum id quod Graeca voce usi *ὕστερον πρότερον* vocamus, quod adhibere quamquam rerum scriptori licere vix quisquam negabit, tamen in Thucydideo opere raro requisivit, quia paene omnes homines nimis confisi verbis illis '*γέγραπται δ' ἑξῆς*', ne dicam creduli, omnino obliti sunt, qua arte composuerit opus Thucydides [1]).

De sententia denique, quam Steup [2]) verbis *οὐ γὰρ ἀκριβές ἐστιν* V 20 [3]) extricare conatus est, primis scil. belli annis archontes saepius quam mos esset, magistratus inisse, recte iam iudicavit Holzapfel [4]) cuius argumentum perbene nunc comprobatur verbis Aristotelis (c. 33) *μῆνας μὲν οὖν ἴσως τέσσαρας διέμεινεν ἡ τῶν τετρακοσίων πολιτεία, καὶ ἦρξεν ἐξ αὐτῶν Μνασίλοχος δίμηνον ἐπὶ Θεοπόμπου ἄρχοντος, ὃς ἦρξε τοὺς ἐπιλοίπους δέκα μῆνας.*

Causam autem, qua Thucydides commotus archontum nominibus in computando non sit usus, ipse claris verbis expressit (I 22) *κτῆμά τε ἐς ἀεὶ ξύγκειται.* Neque enim dubito, quin auctor in numero eorum, quos opus legere vellet, non modo cives suos habuerit, sed Graecos

1) conferas tumultus Lesbiacos, alia. Unus Beloch, quod sciam, qui de hac re idem sentit, expressis verbis disseruit (l. i. p. 304): „Thucydides hat sich bei der Erzählung der Ereignisse innerhalb der einzelnen Sommer und Winter nie sklavisch an die chronologische Folge gebunden, und konnte das gar nicht thun, wenn nicht sein Werk ein Mosaik von zusammenhanglosen Notizen werden sollte.“

2) Steup. Thucyd. Studien II 71.

3) Thuc. V 20: *οὐ γὰρ ἀκριβές ἐστιν οἷς καὶ ἀρχομένοις καὶ μεσοῦσι καὶ ὅπως ἔτυχέ τῳ ἐπεγένετό τι.*

4) Holzapfel. Berliner Studien VII 3, p. 55 adn. et p. 57. Censet enim v. d. illorum annorum, quibus archonti *ἐπωνύμῳ* mortuo alter succedere deberet, nomina non esse mutata.

totius orbis terrarum [1]), imprimis eos qui in terra a Pericle semper petita habitarent, id quod tam aliter quam temporum indiciis II 2 demonstratur, quorum gratia, cum fastorum Atticorum peritos eos esse non posset putare, hanc in archontibus positam rationem tempora definiendi omisit.

IV. Conspectus temporum.

431.

Mart. d. VI./VII.	Thebani in Plataeas irruptionem faciunt (II 2) [cf. c. I p. 17].
April. med./ex.	Peloponnesii in Isthmum Archidamo duce conveniunt. Athenienses rure Athenas confugiunt (II 13; 18 4) [1])*.
April. ex./Mai. in.	Oenoe oppugnatnr (II 18).
Mai. exeunt. (25 ?)	Peloponnesii ab Oinoe oppugnanda desistunt atque incursionem in Acharnas faciunt (II 19) [2]) [cf. c. I p. 3].
Iun. med.	Classis Attica 100 navium Carcino, Protea, Socrate ducibus circa Peloponnesum mittitur (II 23).
Iul. ineunt.	Classis 30 navium Cleopompo duce in Locridem mittitur (II 26) [cf. p. 38 adn. 2].
Iul. med.?	Pecunia a Pericle plebei dispertitur [3]).
post Aug. d. III.	Foedus fit inter Athenienses et Perdiccam (II 29).

1) cf. Holzafel, l. l. p. 57 adn. 2; ubi compluria exempla afferuntur, e quibus hoc Thucydidis consilium apparet.

* Hunc similesque numeros vide infra p. 64 sq.

Sept. exeunt.	Pericles incursionem in Megarensium fines facit, quo tempore 100 naves domum redeunt (II 31).
Nov. ineunt.	Expeditio Corinthiorum in Acarnarniam fit (II 33).
Nov. d. VI.	Pericles de mortuorum Atheniensium laude dicit (II 34).
430.	
Mai. med.	Peloponnesii Archidamo duce incursionem in Atticam faciunt usque ad Laurium (II 47) [cf. p. 21].
,, ,,	Pestilentia Athenas invadit (II 47, 54).
,, ,,	Colophon, dum civitas partium studiis dividitur, ab Itamane capitur (III 34).
Iun. med./exeunt.	Classis Attica 100 navium Pericle duce in Peloponnesum mittitur (II 56) [cf. p. 36].
Iul. ineunt.	Legati frustra ab Atheniensibus Spartam mittuntur (II 59) [cf. p. 36 adn. 2].
Iul. med.	Reditus classis Pericle duce (II 56).
Iul. ex./Aug. in.	Periclem Athenienses imperio abrogato accusant, accusatum pecunia multant.
?	Classis Peloponnesiaca 100 navium Cnemo duce in Zacynthum mittitur (II 66).
Oct. in./ med.	Legati, qui a Lacedaemoniis ad regem Persarum mittebantur, ab Atheniensibus capiuntur (II 67).
Oct. ineunt.	Ambraciotae in Amphilochiam incursionem faciunt (II 68).

Nov. ?	20 naves ad sinum Corinthiacum custodiendum Phormione praetore Naupactum mittuntur (II 69).
?	Potidaea traditur. Exercitus, qui urbem obsidebat, domum redit (II 70) [4].
429.	
Mai. med./exeunt.	Peloponnesii Archidamo duce Plataeas oppugnaré coeperunt (II 71) [cf. p. 22].
„ „ „	Classis Atheniensium Xenophonte, Phanomacho, Calliade praetoribus in Chalcidicam vehitur, unde clade ad Spartolum accepta redit (II 79).
Iun. med./ex.	Peloponnesii naves, quibus Cnemus praeest, in Acarnaniam mittunt (II 80) [5].
Iun. ex.	Phormio proelio navali Peloponnesios ad Naupactum vicit, eodem fere tempore, quo Cnemus cladem ad Stratum accipit (II 82, 83).
„ „	Maior pars exercitus Peloponnesiaci, qui Plataeas oppugnat, domum redit (II 75, 78) [cf. p. 22].
Iul. in./med.	Classis 20 navium Athenis ad Phormionem adiuvandum missa antea Cretam proficiscitur (II 85).
Aug. ?	Alterum proelium ad Naupactum committitur (II 90).
Sept. med. (d. XX.)	Plataeae circumvallatae sunt. Relictis custodiis exercitus domum redit (II 78).
„ „ „	Pericles moritur (II 65).
Nov. in.	Sitalces in Macedonum regnum contra Perdiccam impetum facit (II 95).

428.

Febr. ?	Phormio in Acarnaniam incursionem facit, paulo post Athenas redit (II 102) [6].
Mart./April.	Seditio in Lesbo insula oritur (III 2) [7].
Mai. ineunt.	Legati ab Atheniensibus Lesbum mittuntur (III 2).
Mai. med.	Classis Attica 40 navium Cleippida praetore Lesbum mittitur (III 3).
Mai. ex.	Peloponnesii Archidamo duce incursionem in Atticam faciunt (III 1).
Iun. in.	Lesbus deficit (III 2).
Iul./Aug. ?	Athenienses partem sociorum Lesbum contrahunt, ubi duo castra muniunt (III 6).
Aug. ?	Classis Attica 30 navium Asopio duce in Peloponnesum et Acarnaniam mittitur (III 7) [8].
Aug.	Decretum de immunitate Methonaeorum fit [9].
Sept. d. XIII.	Olympiis Lesbii ad foedus Peloponnesiorum asciscuntur (III 15).
Sept. ex.	Athenienses 100 naves in Peloponnesiorum oras maritimas mittunt, ut Lacedaemonios iterum in Isthmo congressos ab incursione deterreant (III 16) [8].
Sept. ex./Oct. in.	18 naves classis Asopii redeunt [8].
Sept. ex.	Et Lacedaemonii ex Isthmo et classis 100 navium domum redeunt (III 16).
Oct. in.	Mytilenaei in Methymnam aliaque oppida impetus faciunt (III 18).
Oct. in.	1000 milites Pacha duce Lesbum ab Atheniensibus mittuntur (III 18).

Oct. ex./Nov. in.	Mytilenae circumvallatae sunt (III 18).
427.	
Ian. ?/Febr. ?	220 Plataeenses per hostes obsidentes perrumpunt (III 20).
Mai. med.	Classis Peloponnesiaca 42 navium Alcida duce ad Lesbum defendendam proficiscitur (III 26).
Mai. ex.	Peloponnesii Cleomena duce in Atticam incursionem faciunt (III 26).
„ „	Epidamnii capti a Corinthiis dimittuntur (III 70).
Iun. ex./Iul. in.	Mytilenae capiuntur (III 27) [10].
Iul. ?	Bis Athenis de Mytilenaeis agitur (III 36).
„ „	Minoa insula a Nicia occupatur (III 51).
„ „	Plataeae traduntur (III 52).
„ „	Megaris seditio erumpit (III 68)?
Iul./Aug. ?	Corcyrae tumultus excitantur (III 70-81).
?	Legati Leontinorum Athenas veniunt (III 86).
Oct. in.	Classis 20 navium Lacha et Charoeada praetoribus in Siciliam mittitur (III 86).
426.	
Febr. ?	Naves Atheniensium et Reginorum in insulas Aeolias incursionem faciunt (III 86, 88) [11].
Mai. ex.	Peloponnesii incursionem facturi in Isthmum conveniunt; sed cum terrae motus fit, domum redeunt (III 89).
Iun. ?	Duae classes ab Atheniensibus mittuntur, altera Demosthene et Procle ducibus circa Peloponnesum, altera Nicia praetore in Melum insulam (III 91) [12].

?	Coloniam Lacedaemonii Heracleam deducunt.
?	Aetoli legatos mittunt Corinthum et Spartam, qui auxilium petant (III 100) [12].
ante Aug. d. VIII.?	Clade ad Aegitium accepta naves cum mortuis Naupacto Athenas redeunt relicto Demosthene (III 98) [12].
Sept. in.	Decretum alterum de Methonaeis.
Sept. d. XV.	20 talenta Hippocrati praetori solvuntur [13].
Sept. d. XXIX.	50 talenta solvuntur.
Sept./ex. Oct. in.	Exercitus Peloponnesiorum, cui Heracleotae insunt, Aetolis auxilio venit Eurylocho duce (III 100).
Nov. d. XXIV.	$28^2/_3$ talenta solvuntur.
?	Demosthenes Athenas redit (III 114) [14].
?	Legati a Lacedaemoniis mittuntur Athenas de foedere faciendo [15].
425.	
?	Delum insulam Athenienses lustrant (III 104).
?	Legati sociorum ex Sicilia Athenas veniunt (III 115).
Febr.	Pythodorus praetor paucis navibus in Siciliam cursum dirigit, ubi Locrorum castellum aggressus cladem accipit (III 115).
Febr. ex./Mart. in.	Aetnae montis eruptio fit.
April. med.	Messana deficit. Proelium navale inter Syracusanos et Athenienses fit (IV 1, 24) [16].

April. med./ex.	Peloponnesii in Atticam impetum faciunt Agide duce (IV 2).
" " "	Classis 60 navium Peloponnesiacarum Corcyram proficiscitur (IV 2).
April. d. XVIII.	$44^1/_2$ talenta solvuntur.
April. d. XIX.	100 talenta solvuntur.
April. ex.	Classis Attica 40 navium Eurymedonte et Sophocle praetoribus in Italiam cursum dirigit. Demosthenes privatus adest (IV 2)[17].
April. ex./Mai. in.	Pylus intra 6 dies munitur (IV 5).
Mai. med.	Peloponnesii Pylum quam celerrime convenire iubentur (IV 8).
" "	Proelia navalia ad Pylum fiunt (IV 13, 14).
Mai. med./ex.	Magistratus Lacedaemoniorum Pylum profecti frustra legatos Athenas mittunt (IV 15).
Iun. in./med.	Pyli pugnari pergitur (IV 39).
Iun. d. XXIX.	$18^2/_3$ talenta solvuntur.
Iun. ex./Iul. in.	Altera classis Attica 20 navium Pylum appellitur (IV 23).
Iul. ex.	Pugna Sphacteriae committitur (V 39)[17].
Aug. med./ex.	Cleo cum Spartanis captis domum redit (IV 39).
?	Identidem legati a Lacedaemoniis Athenas mittuntur (IV 41).
Aug. ex.	Nicias Corinthum aggreditur (IV 42).
Sept. in.	Classis 60 navium Eurymedonte et Sophocle praetoribus in Siciliam appellitur (IV 46, 48).
Oct. in.	Anactorium proditur; Corinthii expelluntur (IV 49).

Nov. d. XIV.	30 talenta Demostheni solvuntur.
424.	
Mai. d. XX.	100 talenta Niciae solvuntur.
Mai. ex.	Cythera occupatur (IV 53).
?	Pax convenit inter omnes Siculos. Classis Atheniensium Athenas redit (IV 65).
post Iul. d. XVII.	Nisaea dolo capitur. Megara Brasidae traduntur (IV 67) [18].
Aug. med.	Classis Attica 40 navium Demosthene praetore Naupactum proficiscitur (IV 75).
„ „	Brasidas cum exercitu magnis itineribus in Chalcidicam proficiscitur (IV 51) [19].
Aug. ex.	Athenienses Perdiccae bellum indicunt (IV 82).
Sept. in.	Acanthus et Stagira oppida ab Atheniensibus deficiunt (IV 85).
Nov. med./ex.	Pugna apud Delium committitur (IV 96).
„ „ „	Templum prope Delium, quod erat munitum ab Atheniensibus, capitur a Boeotiis [20]).
?	Amphipolis a Brasida capitur (IV 102).
„	Brasidas Toronam capit. (IV 109).
423.	
Mart./Apr.	Legati inter Athenienses et Lacedaemonios ultro citroque comeant de indutiis faciendis (III 117).
April. d. XX.	Indutiae fiunt die postremo Liberalium (III 118).
April. d. XXII.	Scione deficit (IV 122).
Mai. in.	Triremis, qua legati Atheniensium et Lacedaemoniorum vehuntur, ad Chalcidicam appellitur (IV 122) [21].

Mai. med.	Mende deficit. Legati Lacedaemoniorum denuo Athenas proficiscuntur (IV 123).
Mai. ex.	Expeditio Brasidae et Perdiccae contra Arrhabaeum, regem Lyncestarum, (IV 124) [22]) incipit.
Iun. in.	Exercitus Atheniensium Nicia et Nicostrato praetoribus Potidaeam venit (IV 129).
Iun.	Mendam Athenienses expugnant, Scionam circumvallare incipiunt (IV 129).
Iul. ex.	Athenienses cum Perdicca foedus faciunt.
?	Athenienses legatos ad Thessalos mittunt [23]).
?	Athenienses incursionem in Euboeam faciunt [24]).
Sept. in.	Argis templum Iunonis incendio consumitur (IV 133).
422.	
Febr. ex.	Impetum inanem Brasidas in Potidaeam facit (IV 135).
April. d. XX.	100 talenta solvuntur.
Iun. d. XXIV.	? talenta solvuntur.
Aug. ex.	Delos insula lustratur (V 1).
Aug. ex./Sept. in.	Classis Attica Cleone praetore in Thraciam proficiscitur (V 2).
Sept. in.	Torone capitur ab Atheniensibus (V 3).
Sept. med./ex.	Pugna ad Amphipolim committitur (V 7) [25]).
?	Identidem per legatos Athenienses et Lacedaemonii de pace facienda agunt (V 17).
421.	
April. d. XI.	Initium pacis (V 18).

Adnotationes ad conspectum temporum.

1. Tempus, quo exercitus Lacedaemoniorum conveniret atque incursionem faceret, a Thucydide (II 10) hisce incertis verbis *κατὰ τὸν χρόνον τὸν εἰρημένον* commemoratur. Sed spatium temporis, quod interest inter hanc incursionem atque eam, quae in Acharnas facta est (hanc autem accuratius definire aliunde possumus), circiter 30 dierum fuisse veri est simile, praesertim si tecum reputaveris, Archidamum de industria in Isthmo cunctatum tempus trivisse in praecone denuo mittendo, diuque oppugnasse Oenoen. Haud scio an luna plena (April. d. XXII.) signum conveniendi fuerit.

Athenienses hoc demum tempore rure in urbem confugisse veri est simillimum, quod neque agricolae frumentum reliquerint, nisi summo instante periculo, neque Archidamum diutius cunctaturum esse putaverint (II 18, 4).

2. Quod hoc loco aliisque incerta temporum indicia aut e fructuum statu aut ex anni partibus sumpta certis diebus definiuntur, scis, quaeso, eo consilio factum esse, ut insequentia certa indicia, quae a prioribus pendent, accuratius definiri possint; qua in definitione semper id tenendum est, alios terminos nonnullis diebus diversos, si ex alia quadam causa aptiores videantur, eodem iure stare posse.

3. Haec dispertitio, admodum dubia, fulcitur verbis unius Plutarchi (Pericl. 34: *Θεραπεύων δὲ τοὺς πολλοὺς ὅμως ἀσχάλλοντας ἐπὶ τῷ πολέμῳ διανομαῖς τε χρημάτων ἀνελάμβανε καὶ κληρουχίας ἔγραφεν*). Sed, quoniam Thucydides, ut supra commemoravimus (cf. p. 53), silentio praetermisit complures res gestas, quae minoris momenti essent, sine ulla dubitatione addidimus hanc aliasque narrationes alicubi servatas, modo coniungi possint cum ceteris rebus traditis.

4. Kirchhoff (Abhandlung. der Berliner Akademie 1861, p. 555 sq.), priusquam de tempore Methonaeorum decretorum fusius disseruit — cuius sententia nunc ab omnibus probatur — quae Sauppe (Weimarer Programm 1847) aliique viri docti de hisce decretis putaverint, refert. Qua in narratione ad verba quaedam in inscriptionibus mutilata atque a Sauppio verbis *οἱ στρατευόμενοι ἐμ Ποτειδέᾳ* restituta addit: „dass nach der Eroberung Potidäas im Winter von Ol. 87, 3 (430/29) das athenische Heer, welches dieselbe bewerkstelligt hatte, noch bis in den folgenden Sommer in der eroberten Stadt blieb. Um die Mitte des Sommers unternahm es von hier aus einen Zug gegen Spartolos in der Bottike, zog sich aber, da das Unternehmen misslang und mit einer verlustreichen Niederlage endete, wieder nach Potidäa zurück und kehrte einige Zeit darauf, also in den ersten Monaten von Ol. 87, 4 (post Aug. d. XI.) nach Athen zurück" (Thuc. II 79).

At mihi narratio rerum gestarum a veritate abhorrere videtur. Apud Thucydidem (II 70) enim praetores Atheniensium deditionem Potidaeae accepisse duas imprimis ob causas legimus, quarum prima est, quod hieme admodum gravi milites premerentur, altera, quod adhuc iam duo milia talentum ad hanc urbem expugnandam consumpta essent. Deinde narrat de accusatione praetorum atque de colonis deducendis. Si alteram causam rectam esse putemus — id quod dubitari vix potest — veri dissimillimum mihi videtur ex aerario iam admodum exhausto per sex deinceps menses copiis stipendia soluta esse nullius rei gratia. Immo vero, ubi primum Potidaea capta est, exercitus Athenas rediit, perpaucis fortasse copiis relictis, quae usque ad colonorum adventum — qui hanc ipsam ob causam non ita multo post deducti esse videntur — urbem expugnatam custodirent. Firmatur autem haec sententia, cum tecum reputaveris, praetores a populo reos factos sui defendendi causa sine dubio Athenas profectos esse.

5. Quo tempore naves profectae sint Cnemo duce, accuratius definire nequimus, quia ignoramus, quamdiu classis Atheniensium in Chalcidica permanserit, tametsi de tempore certiores nos fecit Thuc. II 80: *οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι Κνῆμον μὲν ναύαρχον ἔτι ὄντα . . εὐθὺς πέμπουσιν.* Quando enim nauarchus munus inierit, dubium est. Belochum si sequamur, qui postquam antea eum (Mus. Rh. XXXIV 119) circa aequinoctium autumnale magistratum inisse putavit, nunc (Phil. XLIII 274) sententia mutata alterum alteri successisse media aestate contendit, recte tempus ancoras solvendi statuisse videmur; neque veri dissimile est, Athenienses in navigatione Athenis ad Chalcidicam facta, in frumento delendo, in proelio faciendo, atque caesos milites sepeliendo, denique in navigatione a Chalcidica Athenas peracta mensem fere consumpsisse. Fortasse autem verbis illis Thucydideis (II 80 *τοῦ δὲ αὐτοῦ θέρους οὐ πολλῷ ὕστερον τούτων*) non tam finis expeditionis Xenophonteae quam initium significatur; ex quo efficitur, ut Cnemus Maio exeunte ancoras solverit.

6. II 102: *οἱ δὲ ἐν Ναυπάκτῳ Ἀθηναῖοι τοῦδε τοῦ χειμῶνος ἐπειδὴ τὸ τῶν Πελοποννησίων ναυτικὸν διελύθη Φορμίωνος ἡγουμένου ἐστράτευσαν . . ἐς τὴν μεσόγαιαν τῆς Ἀκαρνανίας.*

II 103: *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καὶ ὁ Φορμίων ἄραντες ἐκ τῆς Ἀκαρνανίας καὶ ἀφικόμενοι ἐς τὴν Ναύπακτον ἅμα ἦρι κατέπλευσαν ἐς τὰς Ἀθήνας.*

Ex hisce Thucydidis verbis duo inter se valde discrepantia tempora concludi possunt. Et Oberhummer (Acarnanien, Ambracien etc. im Altertum p. 100) expeditionem Novembri exeunte factam esse putat, paulo postquam Peloponnesiorum classis Octobri mense domum rediit, nixus imprimis eo loco, quo Thucydides Acheloum flumen super ripas difluxisse tradit. Quod ad hoc potissimum tempus quadrare, quia ea regione, qua Achelous oriatur, prope Dodonam Novembri atque Decembri men-

sibus magni imbres effundantur atque inundationem efficiant (cf. Mommsen. Griechische Jahreszeiten p. 422).

At vis imbrium non unoquoque anno adeo sui similis est (Mommsen. l. i. p. 426), ut ex ea quidquam concludi liceat. Vox autem *ἀφικόμενοι,* quae res a Phormione gestas coniungit, nostram sententiam veri similiorem reddit.

7. Res Lesbi gestae, quamquam a Thucydide ex ordine temporum narrantur, a plerisque attribuuntur falsis temporibus, quia neglegunt interdum artificium illud „*ὕστερον πρότερον*" ab auctore adhibitum esse; itaque quod incursio Peloponnesiorum primo capite libri tertii, seditio Lesbiaca insequentibus demum capitibus narrantur, res omnes post incursionem gestas esse contendunt.

Lesbus deficit statim post incursionem Peloponnesiorum (III 2: *μετὰ δὲ τὴν ἐσβολὴν τῶν Πελοποννησίων εὐθὺς Λέσβος πλὴν Μεθύμνης ἀπέστη*); ante hanc defectionem nuntios de seditione instante Athenas allatos esse, luce est clarius (III 2: *μηνυταὶ γίγνονται τοῖς Ἀθηναίοις ὅτι ξυνοικίζουσίν τε τὴν Λέσβον ἐς τὴν Μυτιλήνην βίᾳ*). Nuntiis allatis primo quidem Athenienses diffidunt; deinde legatos Lesbum mittunt, qui Lesbios, ne deficiant, moneant (III 2: *ἐπειδὴ μέντοι καὶ πέμψαντες πρέσβεις οὐκ ἔπειθον — τοὺς Μυτιληναίους*).

Legatos vero mitti ad insulam, quae iam defecit, vix credi potest; supervacaneum enim, ne dicam stultum, esset. Legati cum re infecta domum redierint, Athenienses statim classem in insulam mittunt, cuius praetores, postquam Mytilenaei ipsorum imperiis non oboediverunt, belli initium faciunt. (III 3: *καὶ πέμπουσιν ἐξαπιναίως μ ναῦς αἳ ἔτυχον περὶ Πελοπόννησον παρεσκευασμέναι πλεῖν.* . . . . III 4: *οὐκ ἐσακουόντων δὲ τῶν Μυτιληναίων ἐς πόλεμον καθίσταντο.*) Ante hoc nondum bellum incipit.

Quo autem tempore unumquidque acciderit, ratione tantum incerta inveniri potest. Maio exeunte (III 1: *ἀκμάζοντος τοῦ σίτου*) Lesbus deficit; quod ne fiat, quam

celerrime classis mittitur, quae tribus aut quattuor fere diebus inde ab Athenis Lesbum proficiscitur. Si igitur per duos vel tres dies inter Lesbios et praetores de pace servanda actum esse putemus, classis Maio medio exeunte profecta est. Ante hanc expeditionem legati mittuntur ab Atheniensibus, qui nonnullos dies Lesbi morantur conati Lesbiis persuadere, ne defectionem faciant *(οἳ οὐκ ἔπειθον)*. Qua re non impetrata domum redeunt, id quod per quindecim fere dies fieri videtur; tempus igitur legationis missae Maio ineunt. statuendum est. Brevi antequam classis Atheniensium advenerat (III 4: *Ἀθηναῖοι οὐ πολὺ ὕστερον καταπλεύσαντες*), dies festus quo *Ἀπόλλων* Maloeis celebratur, actus est. Apollini autem Athenis atque Spartae dies primus et septimus uniuscuiusque mensis sacri sunt (Mommsen. Heortol. p. 105); haud scio an eadem religio fuerit Lesbi. Uterque vero dies ad nostram sententiam quadrat. Novilunium enim Mai. d. XXXI. erat, neque neglegi debet Thargelionis diem VII. praeter ceteros sacrum fuisse.

Confirmatur denique haec sententia cum verbis illis III 3 *δείσαντες προκαταλαβεῖν ἐβούλοντο (Ἀθηναῖοι)* i. e. praevenire seditionem volebant, tum III 3 *τὰς δὲ τῶν Μυτιληναίων δέκα τριήρεις, αἳ ἔτυχον βοηθοὶ παρὰ σφᾶς (Ἀθηναίους) κατὰ τὸ ξυμμαχικὸν παροῦσαι.* Prima autem expeditio navalis antecedentibus annis eodem tempore, quo Peloponnesii impetum faciebant, fiebat, neque est, cur hoc anno serius eam statutam esse suspicemur. Quodsi legati atque quadraginta illae naves post defectionem demum Lesbi missi essent, vereor ut Lesbii omnino Athenas naves misissent.

8. Verba illa (III 7) *κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον τοῦ θέρους τούτου* aut ad verba (III 16) *καὶ τὰ μὲν περὶ Μυτιλήνην οὕτως ἐπολεμεῖτο*, aut ad eas res, quae antecedunt, spectant, quibus temporis spatium plane indefinitum significatur. Etenim si verba *τὸν αὐτὸν χρόνον* ad postremas res, quas Athenienses hac aestate Lesbi gessisse tradit

Thucydides (III 6), pertinere putemus, Asopius circa Iul. ineunt. Athenis profectus est, (itaque praetoribus anni $4^{29}/_{28}$ adscribi debet); sin vero ad tempus illud latius patens, quod verbis „*καὶ οὕτως ἐπολεμεῖτο*" significatur, temporis definitio omnino deest. Sed post Jul. d. XXXI. demum, çum praetoris munus inierat, Asopium ancoras solvisse propterea veri est similius, quia anno $4^{29}/_{28}$ pater eius Phormio praetor fuit (quem anno 428 mortuum esse recte contendit Gilbert (l. i. p. 105).

Utrum vero statim post anni 428 principium an multo post profectus sit Asopius, magis ambiguum est. Tradit enim Thucydides res ab eo gestas uno tantum capite (III 7) hunc in modum. Asopius Athenis proficiscitur — oras maritimas in praetervehendo vastat — *ἔπειτα* remittit duodeviginti naves — venit cum ceteris duodecim Naupactum — *ὕστερον* in Leucadiam expeditionem facit, ubi cadit — *ὕστερον* abeünt naves. Quo vero abeant, non traditur. Alia autem ex parte accipimus classem triginta navium Olympiis circa Peloponnesum versari atque Lacedaemonios deterrere, ne iterum hoc anno impetum in Atticam faciant, (III 13) *νῆές τε αὐτοῖς* (*Ἀθηναίοις*), *αἱ μὲν περὶ τὴν ὑμετέραν* (*Λακεδαιμονίων*) *εἰσίν, αἱ δὲ ἐφ' ἡμῖν* (*Λεσβίοις*) *τετάχαται.* (III 16) *καὶ αἱ περὶ τὴν Πελοπόννησον λ νῆες τῶν Ἀθηναίων τὴν περιοικίδα αὐτῶν πορθοῦσαι.*

Facilis est coniectura hanc classem eandem esse atque Asopii. Sed nuper nonnulli viri docti (Steup., Oberhummer., Classen., Stahl., alii l. i.) numerum *τριάκοντα* spurium esse contenderunt et hac sententia (III 16) eam classem centum navium significari putaverunt, quae Athenis profecta erat ad deterrendos Lacedaemonios, quam sententiam iusto iure refutaverunt Mueller-Struebing (l. i. p. 111) et Herbst (Phil. XLII 680) — quorum causis licet addere et verba III 13 (*νῆές τε αὐτοῖς*) mutari oportere et Athenas sic eo auxilio nudari, quo classis imminens Peloponnesiorum prohiberi potuit.

At ne Muelleri quidem sententia, quae eandem classem esse putat, stare potest, si modo Olympia Septembri mense celebrata esse ducamus. An putat quispiam verba illa (III 7) *κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον*, quae ad verba *καὶ τὰ μὲν περὶ Μυτιλήνην οὕτως ἐπολεμεῖτο* spectare supra demonstravimus, a Thucydide scripta esse, si inter postremas res de Lesbiis narratas et hanc expeditionem duo menses et dimidium interessent. Immo vero statim post initium anni profectus esse Asopius videtur; ergo falsus est numerus „*τριάκοντα*“, nisi forte per 45 fere dies Peloponnesum vastari putemus. Nisi igitur classem, quam Thucydides III 16 commemorat, novam quandam esse putemus, de cuius expeditione ceteroquin tacuit auctor, duo restant modi, quibus rem explicemus. Alter est classem (III 16) commemoratam eam esse, quae Asopio mortuo domum redit, alter, classem esse duodeviginti navium, quae Athenas ab Asopio remissa est. Contra priorem sententiam pugnat commemoratio duodecim navium, quae insequente anno Naupacti, Nicostrato opinor duce, esse traduntur. Est igitur classis, quae agros Peloponnesiorum vastat Olympiis ea, quae ab Asopio Athenas remittitur, quam in reditu iterum incursiones in Peloponnesum fecisse, nemo mirabitur.

9. Vide ad hoc decretum quae disseruerunt Boekh Staatshaushalt II 429, Kirchhoff (Abhandlung der Berl. Acad. 1861 p. 555) Dittenberger (Sylloge p. 62) Schmidt (l. i. 359, 363).

10. Nullum temporis indicium exstat; c. 27. hoc tantum invenimus: *ὡς αἵ τε νῆες αὐτοῖς οὐχ ἧκον ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου, ἀλλὰ ἐνεχρόνιζον, . . ὁ Σάλαιθος καὶ αὐτὸς οὐ προσδεχόμενος ἔτι τὰς ναῦς.* Porro c. 26. accipimus, incursionem huius anni gravissimam fuisse Atheniensibus post secundam; Lacedaemonios enim in dies exspectasse nuntium, qui Lesbum ab obsidione liberatam esse nuntiaret. Tunc demum, cum nuntius non allatus esset et

frumentum deficere coepisset, Peloponnesios domum rediisse. Sequens autem caput, quo Lesbi occupatio traditur, incipit verbis ʽοἱ δὲ Μυτιληναῖοι ἐν τούτῳʼ. Ex quo efficitur mea quidem sententia, ut haec incursio, quacum secunda illa comparatur, diuturna fuerit (cf. p. 24) et paulo post reditum Peloponnesiorum ex Attica Lesbus capta sit, quia Salaithus plebei arma tradit, dum Peloponnesii in Attica sunt. Armis traditis autem statim cum obsidente exercitu agit plebs Lesbiaca. Si igitur incursionem 30 dierum fuisse et circa Maium mensem exeuntem initium cepisse putemus, traditio fit Iun. ex./Iul. in.

11. III 88: *τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος.* III 86: *βουλόμενοι δὲ μήτε σῖτον ἐς τὴν Πελοπόννησον ἀφέσθαι αὐτόθεν.* Thucydides hanc expeditionem hieme factam esse tradit, quod aestate propter aquae inopiam naves appelli nequeunt. Sed altera causa, quam paulo ante (III 86) tradit, commeatum frumenti prohibere Athenienses conari, mihi maioris momenti videtur, praesertim cum milites agros in insulis vastent (*τεμόντες δʼ οἱ Ἀθηναῖοι τὴν γῆν*). id quod dici potest, cum terra effert fruges.

12. Hae et quae sequuntur res a Nicia aut Demosthene gestae amplis tantum terminis concludi possunt. Heracleam paulo postquam decessit Nicias ex Locride, conditam esse, suo iure contendit Classen (ed. III 92 adn.), quod iam *περὶ τὸ φθινόπωρον* auxilia ex colonis ipsis mittuntur. Quae temporis definitio confirmatur computo Plataearum deletarum, quas *ἐνιαυτὸν μέν τινα* (III 68) Lacedaemonii Megarensibus expulsis, ut habitarent, dederant. Plataeas autem Lacedaemonios his ipsis temporibus solo aequasse aut timore exercitus Niciae commotos aut Heracleae adiuvandae causa veri simile est. Quo tempore Nicias ex expeditione redierit, plane ignotum est. Demosthenis autem expeditio, quae rebus Meli gestis tantum definitur (III 94: *τοῦ δʼ αὐτοῦ θέρους, καὶ περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον ὃν ἐν τῇ Μήλῳ*) certe ante Aug. d. VIII.

quo die annus Atheniensium coepit, inita est, fortasse etiam confinita, quia proximo anno praetoris munere non fungebatur (Kirchhoff. Abhandlg. d. Berl. Acad. 1861 p. 580; Droysen. Herm. vol. IX 16; Oberhummer. l. i. p. 105).

Classem Demosthenis post cladem acceptam statim Athenas, rediisse, merito contendit Swoboda (l. i. p. 51), reicienda igitur est sententia Kirchhoffi, qui (l. i.) aestate exeunte domum redisse classem putat. Neque enim ulla est causa, cur naves diutius post cladem acceptam Naupacti maneant; et classis illa, quae fortasse Septembris d. XIV. ancoras solvit, huic reversae classi successisse videtur. Denique de legatis Aetolorum Droysen (l. i. p. 16) false iudicavit, qui iam vere, cum appellebatur classis Atheniensum, Spartam missos eos esse contendit. Unde enim Aetolos suspicatos esse putas, contra ipsos impetum facturum esse Demosthenem, qui in Leucadiam cursum direxerat? Antequam ipsorum agros intraret Demosthenes, legati ab Aetolis profecti non sunt; item reicienda est Classeni sententia, qui iam antea missos esse eos ducit, „da die Feindschaft mit Naupaktus seit lange bestand“. Quid tunc sibi volunt verba Thucydidea (III 100) *πείθουσιν (οἱ Αἰτωλοὶ) ὥστε σφίσι πέμψαι στρατιὰν ἐπὶ Ναύπακτον διὰ τὴν τῶν Ἀθηναίων ἐπαγωγήν*?

13. Conspectui temporum omnes pensiones, quas hisce annis ex sacris deorum aerariis solutas esse scimus (C. I. A. I 273; Dittenberger. Syllog. p. 51) adscripsi, quamquam mea quidem sententia firma fundamenta ad tempora definienda sic non comparantur, quia omnino non est, cur post unamquamque pensionem expeditionem terra marive factam esse suspicemur. Quidni praetoribus pecuniam ad naves aedificandas datam esse putemus? Quidni ad quamlibet aliam rem? Si forte dies quidam ex inscriptionibus inventus quadrat ad expeditionem a Thucydide narratam, quae aliunde definiri potest, quamquam cohaerere inter se utrumque temporis indicium

putabimus, attamen sic non de omnibus annis iudicandum est. Quod ne faciamus imprimis nos impedit annus 423/22, quo duae pensiones octava atque decima prytania factae, ad nullam expeditionem pertinere possunt, quia omnino de expeditionibus nihil traditur. Thucydidem vero duas expeditiones, quarum altera maioris momenti certe fuisset, silentio praeterisse, nemo credet.

14. Si qui locus, certo hic argumento est, Thucydidis opus imperfectum relictum esse. Narratis enim quam maxime dilucide rebus in Ampracia gestis, (quas mensem fere explesse puto), neque quomodo Demosthenes domum redierit traditur, neque qui Peloponnesii Athenienses magna illa praeda privaverint neque quo in loco. Cur hanc rapinam ad res gestas pertinere Classen (ed. III 114 adn.) neget, equidem nescio.

15. Arist. Acharn. v. 653 *διὰ ταῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται | καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν.*

Admodum dubia est haec legatio; attamen neglegere eam nobis non licet. Etenim, si ad initium belli pertinere haec verba putemus, arcessitum dictum est, neque intellegi omnino potest, quae de Aegina iocatus sit Aristophanes. Fieri igitur potest, ut eidem lacunae, quam modo exstare diximus, attribuatur haec legatio, quam Lacedaemonii post captam magnam illam praedam Atheniensium miserint.

16. Proelium navale et quae res antecedunt inter Syracusanos et Athenienses in opere Thucydideo bis traduntur (cf. IV 1 *πανστρατιᾷ*, IV 24 *πανδημεί*). Priore loco temporis definitionem legimus (*περὶ σίτου ἐκβολήν*), quam Thucydides ex auctore Siciliensi, quem hisce in narrationibus secutus est, transtulisse videtur et quam ipse paulo post (IV 2) exposuit *ὑπὸ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους τοῦ ἦρος πρὶν τὸν σῖτον ἐν ἀκμῇ εἶναι.* Proelium autem navale festinant Syracusani, quod Athenienses multis navibus adventuros

esse acceperant. Si igitur nuntius navium advenientium una cum Pythodoro in Siciliam venerit, proelium primo veris initio commissum est, quia Pythodorus hieme exeunte naves appulerat. Sin autem, id quod verisimilius est, navis mercatoria nuntium attulerit, certe non post Aprilem medium pugnatum est. Hoc enim tempore Eurymedo et Sophocles, qui in Siciliam cursum dirigere iussi erant, Athenis ancoras solverunt, qui ut in cursu retinerentur, fore nemo sperare potuit.

17. Res Pyli gestas artis terminis includi possunt, qui partim a Thucydide expressis verbis traduntur, partim ex opere concluduntur.

Pugnam enim Sphacteriae commissam esse post initium anni Attici ex Thucyd. IV 29 eruamus necesse est, quia Cleo Demosthenem praetorem sibi adiutorem asciscit *(τῶν τε ἐν Πύλῳ στρατηγῶν ἕνα προελόμενος)*; Demosthenes vero anno 426/25 praetoris munere non fungitur. Quamdiu post initium anni pugna gesta sit, alio ex loco elucet, (IV 6) quo Lacedaemonii in Atticam ingressi *(ἅμα δὲ πρῷ ἐσβαλόντες καὶ ἔτι χλωροῦ ὄντος τοῦ σίτου)* per quindecim dies in hostium agris fuisse, post discessum statim Pylum quam celerrime convenisse traduntur. Paulo post adventum proelia navalia ad Pylum commissa sunt 72 diebus ante pugnam in Sphacteria insula gestam (IV 39). Quodsi Ungeri sententiam sequamur (Sitzungsber. der Bayer. Akad. 1875, II 17), qui incursionem Aprilis fere die XXIII. factam esse contendit, brevi post initium anni proelia facta sunt. (Unger diem proelii Iul. d. XXIV. fuisse putat; sed perpaucos dies addere nobis licet, quia quantum tempus Archidamus in itinere Pylum faciendo consumpserit non constat.) Et recte iudicasse v. d. altero argumento demonstrari potest. Incursus enim Peloponnesiorum et expeditio 40 navium Atticarum fere eodem tempore initium capit; soluta autem sunt circa April. med. $144^1/_2$ talenta, quorum partem quidem praetoribus, ut stipendium militibus solverent, datam

esse sine ulla dubitatione contendimus. Praetores autem non ita multo post ancoras solverunt mea quidem sententia, quod veri dissimile est, antequam necesse esset, pecuniam civitatem mutuatam esse propter usuras. Incursio igitur April. fere ex., pugna ad Sphacteriam Iul. ex. facta est. Quod Athenienses Iul. med. metuerunt *μὴ σφῶν χειμὼν τὴν φυλακὴν ἐπιλάβοι* (IV 27), reputes quaeso, his quoque temporibus argricolas putare, inde ab Augusto mense initium capere hiemem (cf. p. 6 adn. 2). Reliqui dies certis indiciis definiuntur. Restat ut paucis exponam, incursionem fere eodem tempore factam esse, quo classem esse profectam. Discedunt autem Laecedaemonii per quindecim dies in Attica versati magnis itineribus, postquam certiores facti sunt, Pylum occupatam esse (IV 6: *ὡς ἐπύθοντο τῆς Πύλου κατειλημμένης*); id quod tunc demum dici potest, cum Pylus munitur, non tunc, cum classis, ut tempestatem evitet, portum occupat. Neque vero incipit munitio Pyli primo die, quo appellitur classis, quia et praetores tribunique Demostheni resistunt et milites locum munire tunc demum coeperunt, cum tempus tarde labens moleste ferunt. Denique, dum nuntius Pylo Athenas pervenit et classis Attica illuc appellitur, aliquot dies praeterisse necesse est. Neque obstant huic sententiae verba Thucydidea; tempestatem quidem per plures dies tenuisse accipimus IV 6, quo Peloponnesios ea pressos esse traditur; id quod vix de uno die dici potest. cf. Unger (Bayer. Acad. Ber. 1875 II 17) Beloch (l. i. p. 302).

18. Res Nisaeae gestas et quae sequuntur initio anni 424 attribuendas esse Beloch (l. i. p. 304 sq.) suo iure contendit. Tradita enim sunt ad annum antecedentem nomina decem praetorum, ad quae Hippocratis nomen non pertinet.

19. Tempus proficiscendi ex IV 85 sequitur. Brasidas enim magnis itineribus (sex aut septem diebus?) in

Macedoniam pervenit, cuius terrae rex Perdiccas statim eum in Lyncestas mittere conatur. Quo in conatu pauci dies fortasse consumuntur. Brasidas autem, postquam hisce in regionibus pacem fecit invito Perdicca, statim (IV 84) contra Acanthios proficiscitur, quo *ὀλίγον πρὸ τρυγήτου* pervenit. Protrygeter vero stella oritur Sept. d. VI. (cf. supra p. 2), unde computemus licet.

20. Inter pugnam ad Delium commissam et oppugnationem templi 17 dies fuisse dicuntur, qui numerus a veritate abhorrere videtur. Ac primum quidem veri dissimile est, milites caesos per 17 dies insepultos iacuisse, cum Athenienses fere nihil egerint, deinde quod Demosthenes paulo post hanc pugnam *(κατὰ δὲ τὴν μάχην ταύτην ὀλίγῳ ὕστερον)* incurrisse traditur in Sicyoniam. Quoniam autem verba illa *ἡ μάχη αὕτη* non ad primam pugnam, sed ad occupationem templi pertinent, Demosthenes vero ante Hippocratem impetum fecit, putemus necesse esset, praetorem illum cum classe per totum mensem in sinu Corinthiaco versatum esse nihil agentem. Addo, quod pessume pauci nuntii, qui mittuntur inter hasce tam vicinas civitates dividi possunt. Putandum autem esset, inter primum atque alterum Atheniensium nuntium spatium 14 dierum interesse.

21. Quando pervenerit triremis in Chalcidicam neque ex rebus in Peloponneso neque in Thracia gestis apparet. Athenaeus enim legatus Lacedaemoniorum cum Athenis iam die ipso indutiarum esset, statim triremem Atticam ut conscenderit, fieri potest. Nec minus fieri potest, ut legati indutiis factis primum domum redierint ad res nuntiandas et confirmandas, tunc vero Athenaeus Athenas reverterit ad iter in Thraciam faciendum. Quodsi hanc sententiam rectam esse putamus — id quod verisimilius videtur mihi, quia sic modo discidium de Sciona oriri potuit — die quodam Mai. in. legatos Athenis solvisse statuendum est. Aliquantulum fortasse fulcitur haec sen-

tentia rebus a Brasida gestis, quibus nonnulli dies certe consumuntur (IV 122).

22. Temporis indicium *ἐν τούτῳ* (IV 124) de Brasidae expeditione adhibitum, pertinet ad defectionem Mendae, quae eodem tempore deficit, quo Lacedaemonii certiores facti de novo discidio Athenas legatos mittunt i. e. Mai. fere med. Quoniam autem Mendaei tunc demum deficiunt, cum persuasum habebant, Scionam a Brasida triremi illa adveniente non prodi, Brasidas vero nuntio allato, Athenienses brevi magnis copiis venturos esse, Mendam ad occupationem instruebat, nostra sententia de expeditionis tempore non ita longe a veritate aberit. Expeditionem 30 fere vel 40 dierum fuisse puto. Est enim iter militibus expeditis 10 fere dierum inde a Torona, ubi exercitus Brasidae erat IV 122, usque ad Arnissam; ad totum igitur iter 20 dies consumpti sunt, ad quos addas quaeso et tres dies, quibus Brasidas exspectat Illyrios (IV 124), et duos, qui itineribus in Lyncestarum terra consumuntur (125 *ἅμα τῇ ἕῳ*; 128 *αὐθήμερον ἀφικνεῖται ἐς Ἄρνισσαν*). Denique accedunt nonnulli dies, quibus dubius erat Brasidas, quid faceret (IV 126).

23. Arist. Vesp. v. 1270: *ἀλλ' Ἀμυνίας ὁ Σέλλου . . . .*
v. 1273: *ἀλλὰ πρεσβεύων γὰρ ἐς Φάρσαλον ᾤχετο·*
schol. ad h. v. *Καὶ Εὔπολις ἐμφαίνει τὴν πρεσβείαν ἐν ταῖς πόλεσιν.* Si omnino legatos missos esse putemus, huic tempori attribuenda est legatio, quo altera ex parte Perdiccas Thessalos incitat, ne Peloponnesiorum exercitum per fines suos transgredi sinant.

24. Schol. ad Arist. Vesp. v. 718: *πέρυσι γὰρ ἐπ' Ἰσάρχου ἐστράτευσαν ἐπ' αὐτὴν (τὴν Εὔβοιαν) ὡς Φιλόχορος.* Hanc expeditionem fini anni 424/23, quo Isarchus archon fuit, adscripsi. Incursionem factam non esse, non est cur suspicemur, quia Philochori nomen affertur. Quo vero tempore haec expeditio facta sit, plane ignotum est; fortasse ad Hippocratis expeditionem respicit (Nov. 424);

cf. Boeckh., Staatshaushalt[3] II p. 25 adn. 161, ubi Fraenkel., Muellerum-Struebing. secutus, omnino expeditionem factam esse negat.

25. Schol. ad Arist. Pac. v. 48: *Ἐρατοσθένης γὰρ ἐπὶ Θράκης τὸν θάνατον Βρασίδου καὶ Κλέωνος ὀκτὼ μησὶ προγεγονέναι φησίν.*

Schol. ad Aristoph. Nub. v. 549: *Ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου (πρὸ τούτου δέ ἐστιν Ἴσαρχος, ἐφ' οὗ αἱ πρῶται Νεφέλαι εἰσήχθησαν· ὁ μέντοι Ἀνδροτίων ἐπὶ Ἀλκαίου φησὶν τοῦ μετὰ Ἀμεινίαν τὸν Κλέωνα τελευτῆσαι . . .).* Verba ipsa Aristophanis adhibere nobis non licet, quod fabula a poeta retractata est. Cum vero ex Androtionis verbis idem quod ex Thucydideo opere discamus, nempe post Iul. d. XXVI. pugnam ad Amphipolim commissam esse, Eratosthenis loco usi pugnae tempus accuratius definire possumus. Etenim si ducamus, Eratosthenem usitata computandi ratione usum esse — Graeci scil. in ratione incunda utrumque finem (et terminum a quo et terminum ad quem) respiciebant*) — pugna Septembri medio facta est, seu virum illum doctum Metonis fastos adhibuisse censemus, seu octaeteridem. Annus enim 422/21, cum in cyclo Metonis, qualis a Mommseno restitutus est, inde ab Iul. d. XXVI. incipiat, neque intercalarius sit, in illo cyclo, quem Unger finxit, inde ab Iun. d. XXVII. inci-

---

*) e. g. In Aristophanis Equitibus (v. 792) Cleoni Paphlagoni isiciarius opprobrio dat:

Καὶ πῶς σὺ φιλεῖς, ὃς τοῦτον ὁρῶν οἰκοῦντ' ἐν ταῖς πιθάκναισιν
Καὶ γυπαρίοις καὶ πυργιδίοις ἔτος ὄγδοον οὐκ ἐλεαίρεις;

quae ratio constat in archontum annis. Equitum autem fabula instructa est Lenaeis a. 424 Stratocle archonte, qui octavus est post Pythodorum (432/31). Kocki igitur (Arist. equ.[3] adn. ad v. 792) et Ulrichi interpretatio, quamvis sagax, reicienda est (cf. Holzapfel. l. i. p. 51, 57). Idem Thucydides (I 118) 50 annos computavit eo loco, quo verum temporis spatium 48 annorum et sex mensium esse constat (cf. Bauer. Phil. XLVI 472); item cf. Xenophontis rationem supra (p. 12 adn. 1) laudatam.

piens mensem habet intercalarem; octaeteridis vero annus 422/21, qui incipit inde a Iul. d. XXVI. 354 tantum dierum est. Si igitur inde ab Elaphebolione mense computemus, aut ad Boedromionem mensem anni intercalarii ducimur (Kal. Boedr. = Aug. d. XXIV.) aut ad Metagitnionem anni vulgaris (Kal. Metag. = Aug. d. XXIV.) Metagitnionis vero mensis finis iam instabat; etenim cum in navigando et capiundis Torona aliisque oppidis, tum in tempore frustra ad Amphipolim trito (id quod moleste ferebant milites Thuc. V 17), totus fere mensis consumptus erat, praesertim cum post d. VII. Metagitnionis demum naves ex portu solvisse veri simillimum sit.

VITA.

Maximilianus Strack natus sum Septembris die IX. a. 1867 Hamburgi patre Hermanno, quem praematura mors suis eripuit, matre Iacobina de gente Hertz. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis privatim imbutus gymnasium S. Ioannis adii, quod tum Hochio rectore florebat. Autumno a. 1885 maturitatis testimonio instructus Tubingam me contuli, ubi, postquam per annum militavi, studiis historicis et philologicis operam dedi. Inde autumno a. 1887 Bonnam profectus ibi quattuor annos insequentes degi.

Docuerunt me Crusius, v. Herzog, v. Kugler, Rohde, v. Schönberg, v. Schwabe Tubingenses; Buecheler, Kekulé, Klein, Loeschcke, Luebbert, Menzel, I. B. Meyer, Neuhaeuser, Nissen, Usener Bonnenses.

Exercitationibus suis benigne me admiserunt philologicis Buecheler, Usener; epigraphicis latinis Buecheler; archaeologicis Loeschcke; palaeographicis Menzel; seminarii historici sodalis Nisseni humanitate per quater senos menses fui.

Quibus omnibus gratias ago quam maximas imprimis Nisseno, cuius memoriam pio et grato animo semper colam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Non aequinoctiis vulgo veteres annum distinguebant.

II. Tigellini illius, qui in maxima apud Neronem gratia erat, nomen fuit non Sofonius, sed Ofonius; quale fuisse apographis Medicei (Tac. Hist. I 72) probatur, esse potuisse titulo C. I. L. X 4261.

III. Thucydides, cum orationem illam funebrem componeret, Athenis captis consolari voluit et adhortari populum, qui Lacedaemoniorum imperium aegerrime ferebat.

IV. Quae Hesiodus in Operibus praecipit de navigatione, agricolas spectant. Eis enim, quae commendat, temporibus vacabant illi a laboribus gravioribus.

V. Thucydides verbis (III 116 *ἐρρύη δὲ περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο ὁ ῥύαξ τοῦ πυρὸς ἐκ τῆς Αἴτνης, ὥσπερ καὶ τὸ πρότερον*) contra auctorem quendam pugnat, qui alio anno ignes erupisse scripserat. Neque igitur illa verba faciunt ad vernum tempus accuratius circumscribendum.